

Da1100





J. G. Demusky





SALOMONIS EPISCOPI BASSORENSIS

LIBER

A P I S.

SYRIACUM ARABICUMQUE TEXTUM LATINE VERTIT  
NOTIS ILLUSTRAVIT

D<sup>r</sup>. J. M. SCHOENFELDER,

SACELLANUS.



BAMBERGAE, 1866.

TYPIS & SUMPTIBUS O. REINDL.

SYLWOMIUS EPISCOPI BYSSORUMENSIS

LITER

APIS.

ZYTHACUM ABBEICUNDUM TETZUM LATINE AERITI  
NOTA HISTORICALIS



BAMBERG 1880.

THEATRUM SUMMUM OF BERLIN

## Praefatio.

Auctor hujus libri Salomon Episcopus Bassorae, Nestorianae sectae addictus. Paucia, quae de vita et scriptis ejus comperta tenemus, partim catalogus librorum Syrorum cl. Ebedjesu Sobensis, quem J. S. Assemanus tertio Bibliothecae Orientalis tomo publici juris fecit, (p. I. p. 309 sq.) nobis exhibet, partim ipse Assemanus variis ex scriptoribus hausit. Haec ejusdem Ebedjesu verba: „Salomon Chalatensis Bassorae fecit librum Apis et alterum de figura coeli et terrae: et oratiunculas et preces.“ — Quibus Assemanus (*ibid. not. 2*) subjungit: „Salomon Chalatensis h. e. ex urbe Chalata oriundus. . . Bassorensem Ecclesiam Metropolita regebat anno Christi 1222. . . Est autem Chalata urbs Mediae non ignobilis.“ — De urbe Bassora vero in dissertatione de Monophysitis sic scribit: „Bassora seu Bosra, Graecis Bostra, Arabibus Basra, ad Tigrin versus occasum sita — Abulpheda teste, qui aliam Basram regionis Huranae h. e. Arabiae Petraeae metropolim haud procul a Damasco ponit. Syri quoque Bosar et Perat-Maisan appellant; sic enim Joannes Jacobitarum et Salomon Nestorianorum ejusdem urbis Episcopi dicuntur. Verum, ut advertit Abulpheda, Maisan regiuncula est in extremis finibus terrae Basrae. Mesenen in Tigri fluvio insulam appellant Plinius, Ammianus.“ — Eodem nomine, scilicet Perat-Maisan, urbs Bassorae in codice nostro vocatur, de quo statim dicemus. —

Jam J. S. Assemanus plura ex hoc libro descriptis (ibid. p. 311—324), quae summam nobis totius operis tradunt. Quae integra editione completere, non inutile fore putavi, cum permulta ab Assemanno praetermissa sint, quae ad ingenium hujus viri recte judicandum desiderari vix queunt. Non negaverim quidem, multa praesertim priori parte contenta omitti potuisse, quippe quae non raro mera s. Scripturae verba describat; sed lectores certo librum integrum mutilo praeferent.

Codex Monacensis, quo ad hanc editionem usus sum, olim cl. Quatremerii fuit, post cuius obitum una cum reliquis libris et manuscriptis et typis impressis, quos doctissimus hic vir longo annorum spatio collegerat, Monachium in Bibliothecam Regiam migravit. De paucis libris manuscriptis Syriaci sermonis, quibus Bibliotheca Monacensis Quatre-

merii collectione adquisita aucta est, hic tantum alicujus pretii est; sex reliqui, ut ex aspectu patet, paene nullius momenti sunt. — Eadem haec inscriptio Arabico sermone praemissa est: „Liber hic ad ecclesiam interiorem S. Cyriaci Martyris pertinet. Emit eum Diaconus Petrus Barsumas ecclesiae de proprio hujus aere. Factus est igitur possessio ecclesiae, acquisitio legitima; et omnis, qui eum absque permissu procuratorum Ecclesiae defert, peccat eumque reddere debet. Quod factum est 17.0 mensis Adar anni 1829. p. Chr. in urbe munita Mosul.“ — Codex in 4.to maximo bombycinus Syro-Carschunice (i. e. Arabice, literis tamen Syriacis) nitidissimeque exaratus ad saeculum decimum quartum procul dubio pertinet. Folia 146 continet; quaevis pagina autem in duas columnas dividitur, quarum dextera textum Syriacum, sinistra Arabicum exhibit. De penultimo tantum et ultimo hujus libri capitibus quaedam exciderunt, quorum maximam partem Assemanus in Bibliotheca Orientali allegasse videtur, ut loco suo monebimus. Characteres minusculi sunt, quibus Nestoriani ab annis plus quam nongentis codices suos describere consueverunt (J. S. Assemani dissert. de Syris Nestorianis p. 378). Plures tamen capitum tituli literis illis antiquis, quae „Estrangelo“ vocantur, scripti sunt. Puncta vocalia in Codice nostro eadem, quae in reliquis Nestorianorum Codicibus occurrunt.

Bambergae, mense Oct. 1865.

J. M. Sch.

*C 22 25*



4

Salomonis Episcopi Bassorensis  
LIBER APIS.

In virtute D. N. I. CHR. incipimus scribere librum spicilegii, qui Apis inscribitur, auctore sancto Dei Mar-Salomone, Metropolita Perat-Maisan h. e. Bassorae. — Domine noster! adjuva me miserationibus tuis multis. Amen! — Primum

PRAEFATIO.

„Non debent filii parentibus thesaurizare, inquit b. Paulus<sup>1)</sup>, sed parentes filiis spiritualibus“. Nos igitur tibi retrahere debemus debitum charitatis, dilecte frater noster, bacule senectutis nostrae, religiosissime Dei, Domine Narses<sup>2)</sup> Episcope Conisapor in Beth-Vazich. Recolimus enim tuam in nos sollicitudinem tuumque ministerii nostri studium, qui perfectus es ardenti amore mansuetudineque christiana. Quumque interdum concio a nobis habenda sit<sup>3)</sup> de iis, quae Deus dispensatione sua in mundo hoc elementari fecit deque iis, quae in saeculo luminis facturus est: vitio autem illo Mosaiico, haesitantia<sup>4)</sup> scil. linguae, tentemur, scientiae<sup>5)</sup> tuae de rebus sublimibus, de quibus sciscitatus es, perfecte<sup>6)</sup> sicut opportuit satisfacere non potuimus. Qua de causa impediti eramus, quominus Scripturis ss. utiliter uteremur. Cum vero Deus voluerit dispensaritque nostram ab invicem separationem, appareatque in nobis signum senectutis, quae mortem

<sup>1)</sup> II. Cor. 12, 14.

<sup>2)</sup> ad marg. text. Ar. Ibrahim.

<sup>3)</sup> חֲבוֹנִיא (Chobonia) debitus. Non extat haec vox in lexico Syriaco Castelli, sicut et sequentes, quas adscripsimus.

<sup>4)</sup> לענוּחָא (Le'enucha)

<sup>5)</sup> לְמַרְעָהָךְ (L'mar'acha)

<sup>6)</sup> מִפְרָנָסָאִת (Mifranasat)

praenunciat, et senuerimus progressisque simus in annis, lingua calami labiisque atramenti de Dei in utroque saeculo oeconomia brevi tibi significare nobis placuit. Collegimus itaque spicilegiumque fecimus et concessimus e paradiſo librorum diuītorum atque ex fragmentis Patrum Doctorum historias has partesque omnes; quumque aedificii fundamentum jecissimus, initium scilicet dispensationis hujus saeculi<sup>7)</sup> usque ad finem saeculi futuri pervenimus. — Inscripsimus vero librum hunc librum Apis, quia ex plantis<sup>8)</sup> utriusque Testamenti floribusque ss. Scripturarum ipsum ad utilitatem tuam collegimus et composuimus. Sicut enim apis vivilis<sup>9)</sup> tenuibus alis<sup>10)</sup> circumvolat et floribus vario colore et odore insidens de omnibus substantiis<sup>11)</sup> seligit et colligit, quae ad constructionem artificii sui utiles sunt: primum quidem substantias de floribus colligens femoribus suis eas portat atque ad habitaculum suum affert fabricataque cera aedificii sui fundamentum jacit; deinde ore suo de rore coelesti, qui super flores vernos<sup>12)</sup> est, congregans affert, domibus illis inflat favumque et mel ad hominum utilitatem suumque alimentum conficit<sup>13)</sup> —: sic et nos debiles de montibus librorum antiquorum sculpturas<sup>14)</sup> verborum corporalium sculpsimus hisque tanquam fundamento ad aedificandam legem spiritualem usi sumus. Sicutque apis substantiam cerae femoribus suis pro fatuitate sua et insipientia portat, substantiam vero mellis propter ejus dulcedinem ac praestantiam ore suo affert: sic et nos legem corporalem loco fundamenti et soli, legem vero spiritualem loco tecti coelique ad aedificationem turris spiritualis posuimus. — Deinde sicut hortulanus custosque horti probus (solers<sup>15)</sup> hortos sepit, de speciebus optimis pomorum sciscitur atque surculos et plantas

<sup>7)</sup> Text. Ar. addit.: אלמהטום sensibilis.

<sup>8)</sup> Arab. פְּסִיקָתָא ( פְּסִיקָתָא ) flos flavus, Freytag.

<sup>9)</sup> Arab. שִׁיטָחָה ( שִׁיטָחָה ) alchirah.

<sup>10)</sup> Ar. perspicuis שְׁפָאַפָּת

<sup>11)</sup> Ar. מַוְאֵד, מַלְוָא ( מַלְוָא ) Assem. B. Or. T. III. P. II. f.

303 et 305, materia sc. sacramentorum.

<sup>12)</sup> ad v. „f. Nisan“.

<sup>13)</sup> Ar. חַנְעָן ( חַנְעָן )

<sup>14)</sup> Ar. פְּסִילָה ( פְּסִילָה )

<sup>15)</sup> Ar. שָׁאַטָּר ( שָׁאַטָּר )

de iis desumta in agrum suum plantat: sic et nos Paradisum librorum ingressi ex iis truncos et ramos praecidimus atque in terram libri hujus ad consolationem utilitatemque tuam plantavimus. — Tu autem, frater noster! in medio plantarum istarum te oblectans, quae fatuae et insipientes tibi videntur talesque a te putantur, sociis tuis dimitte, quia aliis valde conveniunt; de iis vero, quae dulces sunt et eduleant, pectora scientiae tuae nutri famemque tuam exple. Quodsi vero ob exiguitatem suam te non replent, in traditione earum radices exquire et indigentia tua ex tunc replebitur. Scito autem, frater noster, ubi verus est amor, non esse timorem neque una cum liberalitate pavorem. Neque enim res istas, quae puerilis scientiae nostrae mensuram tam longe superant, tam audacter aggredi ausi fuisset, nisi amore tuo immaculato confisi. Unicuique quippe a Theodoro<sup>16)</sup> dictum est: Si mel inveneris, quantum potes comedere, satiaberis fortasse de eo et prophetabis, h. e. ne perscruteris verba divina.

#### Index capitum hujus libri.

- Cap. 1. De absoluta<sup>17)</sup> Dei mente, condendi creaturas.
- 2. De dispensatione<sup>18)</sup> septem naturarum in silentio.
- 3. De terra, aqua, aëre et igne.
- 4. De coelo.
- 5. De angelis.
- 6. De tenebris.
- 7. De lumine effuso.
- 8. De firmamento.
- 9. De creatione arborum et plantarum deque conditu marium et fluminum.
- 10. De conditu luminarium.
- 11. De creatione draconum et piscium et volucrum et reptilium, quae in mari sunt.
- 12. De creatione animalium et pecorum.

<sup>16)</sup> Ar. „jubet vox sapientis cuiusdam“.

<sup>17)</sup> inf. „aeterna“.

<sup>18)</sup> inf. „creatione“, ut et textus Ar. hic habet.

- Caput 13. De formatione Adae.  
 14. De conditu Evaæ.  
 15. De Paradiso.  
 16. De peccato Adae.  
 17. De exitu Adae et Evaæ de Paradiso.  
 18. Quod Adam Evam cognoverit.  
 19. De inventione organi artis ferrariae.  
 20. De Noë et diluvio.  
 21. De Melchisedech.  
 22. De generationibus Noë: septuaginta duabus tribubus, quae ex tribus filiis descenderunt.  
 23. Genealogica series a diluvio deinceps.  
 24. De aedificatione turris.  
 25. De Abraham.  
 26. De temptatione Job.  
 27. Isaac benedicit Jacobo.  
 28. De Joseph.  
 29. De Moyse et filiis Israël.  
 30. De virga Moysis.  
 31. De Josue filio Nun et de judicibus et regibus filiorum Israël.  
 32. De morte prophetarum; quo quisque modo defunctus et sepultus sit.  
 33. De divina dispensatione, quae in N. T. peracta est, et de genealogia Christi.  
 34. De annuntiatione angeli ad Jonachir de Maria.  
 35. De annunciatione Gabrielis ad Mariam de conceptione D. N.  
 36. De nativitate D. N. in carne.  
 37. De vaticinio Zaradostae, qui est Baruch seriba.  
 38. De stella, quae in oriente die nativitatis D. N. apparuit.  
 39. De adventu Magorum ex Perside.  
 40. De descensu D. N. in Aegyptum.  
 41. De Joanne Baptista et D. N. baptismo.  
 42. De jejunio D. N. ejusque lucta cum Satana.  
 43. De paschate D. N.  
 44. De passione D. N.  
 45. De resurrectione D. N.

- Caput 46. De ascensione D. N.
47. De illapsu Spiritus s. super Apostolos in coenaculo.
  48. De praedicatione Apostolorum, de loco uniuscuiusque eorum ipsorumque morte.
  49. Nomina Apostolorum singillatim.
  50. De quaestiunculis: qui scil. Apostoli uxores duixerint.
  51. Nomina Catholicorum Orientalium, qui Apostolorum successores sunt.
  52. Nomina regum, qui regnaverunt in mundo a diluvio deinceps.
  53. De fine temporum et mutatione regnum ex libro Methodii Episcopi Romani.
  54. De Gog et Magog, qui in aquilone inclusi sunt.
  55. De adventu Antichristi, filii perditionis.
  56. De morte animaeque e corpore migratione.
  57. De resuscitatione et resurrectione communi: de fine mundi elementaris et saeculi novi initio. —
  58. Quo modo qualique forma homines die resurrectionis resurrecturi sint.
  59. De felicitate justorum poenaque peccatorum; quales ibi fiant.
  60. Utrum daemones peccatoresque, qui in Gehenna sunt, postquam purgati<sup>19)</sup> (Assem.) passique fuerint et poenas luerint, misericordiam consecuturi sint, nec ne; et quodsi consecuturi sint, quando id eventurum sit.

**Caput 1. De aeterna Dei mente, condendi creaturas.**

Praestat, de libris divinis sermoni nostro copiam sumere, ne forte a semitis rectis viae veritatis aberremus. „Domine, inquit enim b. David<sup>20)</sup>, refugium factus es nobis a generatione in generationem priusquam montes conciperentur“. Indicat

بعد אחר אלקצאנש מישטרין Ar. מישטרין<sup>19)</sup> ad v. compressi, oppressi f., מניהם ובעליהם וקצארתיהם

<sup>20)</sup> Ps. LXXXIX, 1, 2. Vulg.: „Oratio Moysi hominis Dei“. Syri non minus ac Latini in Officiis suis Psalterium saepissime Davidem adpellant.

autem citharista<sup>21)</sup> Spiritus — David, etsi creationi Adae initium sit — sicut et reliquis creaturis, in creatione scilicet, tamen in mente Dei ei non esse initium, ne opinemur, Deo de iis, quae de die in diem instaurantur, novam cogitationem esse aut de novo in mente Dei conditum creaturarum statutum esse: sed omnia, quaecunque creavit et creabit, et ipsa quoque constitutio saeculi futuri in immutabili Dei mente ab aeterno sunt praedestinata<sup>22)</sup>. Sicut enim infans naturalis in utero matris suae eam, quae ipsum portat, nescit neque patrem suum, qui post Deum formationis suae est auctor, novit; sic et homo, cum in mente Dei creatoris omnium esset, eum nesciebat. Quum vero creatus esset naturamque creatoris sui intelligeret, in tali scientia nonnisi sex horas permansit, supervenitque ei mutatio de scientia in inscientiam deque bono in malum. Quare cum nutus divinus mundum creare vellet, primum in mente Dei creatura Adami<sup>23)</sup> formata et concepta est et tunc conditus creaturarum, sicut b. David ait: „Priusquam montes conciperentur“ — Veterior igitur Adam creaturis secundum ideam, veteriores vero Adamo creaturae sunt secundum nativitatem et creationem. Postquam enim omnes creaturas in silentio et in verbo creavit, Adamum e medio cogitationum suarum genuit, manibus suis sanctis formavit, spiraculum vitae ei inflavit de spiritu suo factusque est homo in animam viventem. Dedit ei scientiam bonum a malo distinguendi. Quum vero factorem suum cognovisset, tunc Deus in cogitatione hominis formatus atque conceptus est, factus est homo templum Deo creatori suo, sicut scriptum est: „Nescitis, quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?“<sup>24)</sup> — Et iterum: „Habitabo in eis et ambulabo cum eis.“

### Caput 2. De creatione septem naturarum in silentio.

Quum Deus in misericordia sua omnem virtutem sapientiae suae manifestare vellet, in principio vespere primi diei,

<sup>21)</sup> אלואמר באלרות, Ar. כנרטסא (Canresas)

<sup>22)</sup> אחרשם (Aftershem)

<sup>23)</sup> Text. Ar. addit. אֵב אַלְבָשֶׂר patris hominum.

<sup>24)</sup> I. Cor. 3, 16.

qui est dies dominica, septem naturas in silentio sine voce creavit. Quoniam nondum erat, qui vocem audiret, recte eas in silentio creavit: ne quid Deus otiose ficeret, sed voluit, veneruntque de nihilo ad existentiam: coelum scil. et terra, aqua, aëris, ignis, angeli, tenebrae. —

### Caput 3. De creatione terrae, aquae, aëris, ignis.

Terra Tohuvalohu erat, h. e. non firmata neque ornata, sed in medio aquarum abscondita, aquaeque super eam erant; super aquam vero aëris et super aërem ignis. Natura terrae frigida et arida erat. Tertia quoque die arida apparuit, cum arbores et plantae<sup>25)</sup> crearentur. Aquae secunda die separatae sunt, quum firmamentum de iis crearetur. Natura vero aquae frigida et humida. Ventum autem, qui super aquas ferebatur, homines inscii<sup>26)</sup> Spiritum s. putaverunt; alii autem hunc aërem, quod verius est. Natura vero aëris calida et humida. Ignis denique supra aërem in aethere excelso factus erat; neque erat ei adhuc splendor, sed calor tantum usque ad diem quartum, quo luminaria creata sunt, ibique de eo dicemus. Natura ignis calida et arida erat.

### Caput 4. De coelo.

Coelum quasi tectum mundi elementaris est locumque terrae in saeculo futuro tenebit. Natura ejus: — lucidum et pulchrum est et habitaculum virtutum invisibilium. Quumque Deus hoc firmamentum extenderet, triplicem aquam super illud extulit, super quam coelum erat igneum. Propter quod

<sup>25)</sup> מַעֲוִירָא, Ar. אלְגָבָחָה

<sup>26)</sup> cf. notam Assem. ad h. l. „Hic Theodori (Mops.) doctrinam sequutus spiritum Dei, qui super aquas ferebatur, ventum fuisse affirmat, indoctos reputans, qui de Spiritu sancto locum illum interpretati sunt. Ita nimirum vir Nestorianus cum primariis etiam Ecclesiae doctoribus, Basilio inquam et Ephraemo, agit, quum a Theodori Mopsuesteni sententia recedunt“. — At hic bonus Assemanus dormitasse videtur, quum S. Ephraem apertissime doceat, Spiritum Dei hoc loco non sanctum, sed „effectum tantummodo aëris“ (ut P. Benedictus in edit. opp. s. Ephr. vèrit; rectius vocem תְּשֵׁמֶת הָרָא „functionem“ redderem), i. e. spirationem, flatum aëris (משׁבָּת „flatum ejus“ —), significare. V. S. Ephr. Opp. T. I. Syr. et Lat. p. 8.

de coelis et de coelo coeli loquimur, quia et firmamentum et aquas, quae super coelos sunt, coelum vocamus. Illud vero: „Aquae, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini“<sup>27)</sup> de sanctis Angelis interpretati sunt et de humanitate D. N., quod neque Ecclesia neque Doctores orthodoxi recipiunt.

### Caput 5. De Angelis.

Angeli novem chori<sup>28)</sup> sunt et tres ordines: superni, medii et infimi. Superni sunt: Cherubim, Seraphim et Throni. Hi Pontifices appellantur et summi Pontifices et gestatores throni Dei. Medii: Dominationes, Virtutes et Potestates. Hi Sacerdotes dicuntur, quod ab iis, qui supra ipsos sunt, revelationes accipiunt. Infimi: Principatus, Archangeli et Angeli. Hi ministri (diaconi) sunt, qui creaturis administrant. Cherubim etenim sunt motus rationalis<sup>29)</sup> sedem sanctae Trinitatis portantes, suntque principium omnis motus et semper choros, qui sub ipsis<sup>30)</sup> sunt, vident. Multi vero oculi, qui de iis praedicantur, mysterium revelationum Trinitatis innuunt. Princeps et primus omnium et supremus est Gabriel idemque mediator Dei et creaturarum. — Seraphim sunt motus igneus, illos, qui sub ipsis sunt, motus igne divini amoris calefaciens. Senae alae, quae de singulis eorum praedicantur, revelationes, quas a Creatore accipiunt hominibusque afferunt, significant. Thronus motus stabilitus est, qui a temptationibus, quae in eum irruunt, non perturbatur. Dominationes sunt motus, quibus creditum est, motus, qui sub ipsis sunt, gubernari. Hi sunt, qui daemones prohibent, quominus creaturas laedant. Virtus motus fortis est, voluntatem dominicam administrans; ipsaque victoriam regnis in bellis, aliis cladem impertit. Potestas est motus, cui potestas est de thesauris spiritualibus sociis suis ex voluntate creatoris distribuendi. Hic vero chorus lumina — solem, lunam, stellas gubernat. Principatus

<sup>27)</sup> Ps. 148. 4.

<sup>28)</sup> Dionysium Areopagitam sequitur Bassorensis in hac materia. Sufficit, nomen tantum Hierachiae coelestis dixisse.

<sup>29)</sup> „Angelus est substantia intellectualis semper mobilis“. S. Jo a. Dam. ap. Thom. Aq. Sum. I. q. 50. a. 1. נָשָׁר, Ar. cogitatio, animus.

<sup>30)</sup> Syr. „choros, qui ex ipsis et infra.“

sunt motus definitus — gubernantes aethera sursum, pluviam nubes, fulgura, tonitrua, procellas, terrae motus, ventos ceteraque commotiones aethereas. Archangeli motus subtilis sunt, quibus gubernatio animalium, ferarum, voluerum, reptilium omniumque, quibus anima vivens inest a musca usque ad elephantem, hominibus exceptis, commendata est. Angelus est motus, qui cognitionem spiritualem omnium, quae in terra quaeve in coelo sunt, habet. Cum unoquoque nostrum est unus ex hoc choro Angelus,<sup>31)</sup> qui eum gubernat, ab hominis conceptu usque ad comunem resurrectionem. Unusquisque Angelorum chorus numerum omnium hominum aequat ab Adamo usque ad resurrectionem. Traditum enim est secundum numerum omnium virtutum coelestium homines mundum ingredi. Juxta alios locum unius ex illis choris implere debent, eorum scilicet, qui ex ipsis ob praevaricationem (de coelo)<sup>32)</sup> exciderunt. Daemones enim de tribus choris exciderunt, de quoque choro tertia pars. Si enim confitemur, tres Angelorum ordines esse, omnemque ordinem tribus choris constare, unumquemque deinde chorum numerum omnium hominum aequare, quantus numerus omnium Angelorum erit? — Quidam contendunt: quum Angeli creati ordinesque sex ordinati essent, Cherubim, Seraphim, Throni, Principatus, Archangeli, Angeli, choros tres inferiores cogitasse: Quaene est causa, quod illi supra nos positi sint, nos vero infra, cum nihil antea facientes nos nequam praevenerint, neque nos viliores illis praestiterimus? — Propter quam causam dispensationem divinam pro more suo causaliter (efficienter **עלתנאות**) ambabus partibus justitiam impertivisse: constituisse quippe medios tres alios choros Dominationes, Virtutes, Potestates, ne superni extollerentur, neve infimi injuria se affici suspicarentur. — De habitatione vero Angelorum affirmant, supra firmamentum aquas esse, et super has aliud coelum, instar ignis infimi — hocque Angelorum habitationem esse. Ibi etiam Deum esse infinitum, Angelosque sedem majestatis ejus circumdare, invisibilemque esse locum, quo tabernaculo non manufacto ministrent. Alli dixerunt, in prin-

<sup>31)</sup> Cod. Vat. apud Ass. l. c. p. 311 u. 5 legit: „Qui Angelus Providentiae appellatur“, quod. Cod. Monac. in utroque textu non habet.

<sup>32)</sup> text. Ar. addit.

cipio, quum Deus Angelos creasset, omnes choros in summo coelo habitasse usque ad diem secundum, quo firmamentum factum est. Quumque firmamentum factum esset, omnes infra firmamentum descendisse remansisseque tres tantum choros supra firmamentum: Cherubim, Seraphim, Thronos: hosque circumdedisse et glorificasse thronum Dei — a principio mundi, donec D. N. ad coelum ascenderet. Post ascensionem thronum Christi eos circumdare, qui est Deus — usque ad finem saeculi. Commentator<sup>33)</sup> autem sociique ejus ajunt: Tabernaculum, quod Moyses fecerit, typum universi mundi esse: tabernaculum scilicet exterius figuram hujus mundi esse, tabernaculum vero interius similitudinem aetheris, qui super firmamentum sit. Sicutque sacerdotes quotidie in tabernaculo exteriore ministraverint, in tabernaculum vero interius solus Pontifex semel in anno introierit, sic ex omnibus creaturis rationabilibus, Angelis scil. et hominibus neminem super firmamentum ascendisse, nisi solum Pontificem<sup>34)</sup> confessionis nostrae Jesum Christum. Patres vero, si quando digni habiti sint, qui Dominum Nostrum in revelatione viderunt: in coelo eum a Cherubim et Seraphim circumdatum vidisse, propter quod et Angelos super coelos esse perhiberi. Omnibus his virtutibus supernis revelationes per visionem fiunt; suntque iis et revelationes ex auditu. Cherubim autem revelationes visu tantummodo percipiunt, quia non est infra ipsos Deumque mediator. Angeli vero praeter reliquas creatureas rationales praestantiori ingenio antecellunt: homines ampliori cidipitate, daemones majori ira reliquas superant.

#### Caput 6. De tenebris.

Tenebrae natura sunt, per se ipsam existens; neque numeratae essent cum septem naturis, quae in principio in silentio creatae sunt, nisi iis substantia esset. Alii dicunt, tenebras non esse substantiam per seipsam existentem<sup>35)</sup>, sed umbram corporum.

<sup>33)</sup> Theodorus Mopsuestenus, quem Syri saepissime hoc nomine honorant. cf. Off. Nestor. hym. Matut. in Dominicis et Festis.

<sup>34)</sup> Hebr. 3, 1.

<sup>35)</sup> Ar. קימת בראתה



**Caput 7. De creatione lucis effusae.**

Quum Angeli sancti vespere feriae primae sine voce creati essent, creationem suam non intellexerunt putaveruntque apud semetipos, se aeternos esse et increatos. Tempore vero matutino ejusdem feriae primae Deus audibili voce imperans: Fiat, inquit, lux, et statim lux effusa creata erat. Angeli cum lucis creationem vidissent, tunc certo cognoverunt et intellexerunt, eum, qui lucem creasset, et ipsos creasse, magna que voce clamantes laudavere lucis creatione obstupefacti, sicut Doctor ait: „Quum lucem hanc Creator condidisset, Angeli eam sunt admirati etc.“ et ut in Job<sup>36</sup>) dictum est: „Quum luciferum (stellam aurorae) crearem, omnes Angeli me laudaverunt.“ Luci vero non est calor naturaliter. —

**Caput 8. De creatione firmamenti.**

Vespere feriae secundae Deus coelum inter et terram separare voluit, ut luminaria et stellae sub coelo essent, qui mundum hunc illuminarent essetque coelum habitatio Justis et Angelis post resurrectionem. Fiat, inquit Deus, firmamentum, quod aquas ab aquis separet. Statim aquae in tres partes divisae sunt: pars super terram remansit in usum hominum et animalium et pro fluminibus maribusque. De alia parte firmamentum fecit; tertia denique pars super firmamentum ascendit. Die vero resurrectionis aquae in pristinam naturam revertuntur. —

**Caput 9. De creatione arborum et plantarum deque conditu marium et fluminum.**

Tertia die Deus jussit: Congregentur aquae in fontes<sup>37)</sup> et profunda terrae et appareat arida. Quumque aquae in profundis terrae congregatae essent montesque et colles apparerent, Deus arenam aquis marium terminum posuit, ne transgrederentur eam et terram operirent. Imperavitque terrae, ut

<sup>36)</sup> Job. 38, 7. Loc. ss. Scripturarum a Solomone citati non ex versione „Pschito“ desumpti videntur.

לְנוּמִירָא<sup>37)</sup>

gramen et herbam omneque olus germinaret. — Protulit terra arbores et gramina et plantas omnis generis, plenas et perfectas floribus et fructibus et seminibus secundum species suas. Quidam dicunt, priusquam homo mandatum transgrederetur, terram spinas et tribulos non germinasse et in specie rosae spinas sicut nunc non fuisse: sed postquam praevaricatus sit, propter maledictionem, quam terra acceperit, spinas et tribulos produxisse. Causa vero, ob quam Deus arbores et plantas ante creationem luminarium creavit, haec fuit, ne Philosophi<sup>38)</sup> et de naturalibus loquentes virtute caloris solis terram herbam et arbores germinasse existimarent. Quod ad creationem Paradisi attinet, quanam die creatus sit, in Lege mentio non fit, sed fortasse juxta opinionem Orthodoxorum<sup>39)</sup> eodem die, quo arbores creabantur, et Paradisus creatus est. Quodsi Deus vult, de Paradiſo suo loco dicemus. —

#### Caput 10. De conditu luminarium.

Feria quarta Deus luminaria — solem et lunam et stellas — de tribus materiis, aëre scil. luce et igne creavit. Summis de aëre materiam et vasa instar candelarum formavit, miscensque ignem cum luce ea implevit. Quia vero non inerat naturae ignis splendor, neque naturae lucis calor, ignis luci calorem, lux vero igni splendorem impertivit; ex utroque luminaria — sol, luna, stellae formata sunt. Alii dixerunt, tempore matutino luminaria condita, solem in oriente, lunam in occidente positam esse. Alii affirmarunt, vespere condita, solemque in occidente, lunam vero in oriente positam esse, quamobrem Judaei decimam quartam vespere agunt. Alii dixerunt, omnia luminaria quum crearentur, in Oriente posita esse: solem tempus diei implesse, lunam usque ad tempus vespertino mansisse; deinde iter suum incepisse. Semitae autem luminarium infra firmamentum sunt neque fixae, ut quidam fabulantur, sed Angeli ea regunt. Mar Isaac „Sol, inquit, iter suum ab Oriente ad Occidentem facit et abit post

<sup>38)</sup> i. e. Physici; „et“ deest in text. Ar.

<sup>39)</sup> רְשִׁירָא (Rishirah)

montes altos septentrionales quaque nocte, donec in Oriente oriatur“. Philosophi autem dicunt, luminaria noctu infra terram iter suum peragere.

**Caput 11. De creatione draconum et piscium et volucrum et reptilium.**

Feria quinta Deus ex aquis cete grandia et pisces et volucres et animalia natantia et reptilia, quae in aquis sunt, creavit. Avem aquaticam ex aquis creavit; hoc enim iis cum piscibus commune, quod ova pariunt et natant. Pisces quippe in aquis, volucres vero in aëre natant; pars earum et in aquis. Etsi quidam contendunt, ex aquis animalia natantia creata esse, aut ex terra reliqua animalia et pecora, tamen ex omnibus elementorum partibus constant. Fortasse iis, quae ex aquis (creata) sunt, major pars aquae, illis vero, quae de terra sunt, major de limo terrae admixta est, cum omnia quatuor elementis non careant.

**Caput 12. De creatione animalium et pecorum.**

Vespere feriae sextae ea creavit, quamobrem bestiae noctu aequo ac die vident. Alii dicunt, haec omnia mane creata esse et postea Deum Adamum die sexta, quae est dies Veneris, creasse.

**Caput 13. De formatione Adae.**

Die Veneris omnibus creaturis conditis Deus: Venite, inquit, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Hoc vero: „Venite, faciamus eet.“ quidam de Angelis interpretati sunt, cum Deus adorandae majestatis auxilio creaturarum suarum minime indigeat; Ecclesiae vero commentatores personas laudabilis Trinitatis intelligunt. — Dicunt quidam, cum Deus dixisset: „Venite, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,“ Angelos dextero Spiritus oculo super universum mundum expanso vidisse, quomodo Deus de omnibus creaturis, spiritualibus et corporalibus, quae in ipso (mundo) sunt, particulas sumserit Adamque manibus suis sanctis formaverit;



inspirasse in eum spiraculum vitae et Adam in animam viventem factum esse. Alii vero: Tulisse Deum limum de quatuor plagis mundi Adamque extra Paradisum formasse. Alii denique: In medio terrae eum formasse, ubi D. N. crucifixus est, ibique quoque cranium Adae sepultum esse. — Postquam eum extra Paradisum formavit, tunc eum introduxit regiamque ei potestatem dedit super omnes creaturas praecepitque ei, ut singulis earum nomen imponeret: non quod omnia jumenta et natantia in mari et volatilia coeli congregaverit Deus ad Adam<sup>40)</sup>; sed accepit in ea dominium et potestatem, ut pro libitu suo iis uteretur, ipsisque nomen tanquam Dominus servis imponeret. Quumque eum in Paradisum introduxisset, praecepit ei, ut eum coleret et custodiret. Cur dixit: „Ut eum coleret et custodiret“, cum paradiſo custodia opus non esset ipseque omni genere fructibus ornatus, damnoque qui afficeret, non esset? — Ut custodiae mandatorum suorum studeret, atque ne otium diligeret, debebat eum colere. Quoniam vero Adam formationem suam non viderat, neque virtutem Creatoris sui noverat<sup>41)</sup>, quum sumpta esset ex ipso Eva ad similitudinem ejus, opportuit eum tanquam creatorem suum agnoscere et confiteri, eum, qui Evam creasset et ipsum creasse seque ambos illi obedientiam debere.

#### Caput 14. De Eva.

Dixit Deus: Faciamus Adae adjutricem. Immisit ergo in eum quietem et stuporem, tulit costam de costis ejus e latere ejus sinistro, posuit loco ejus carnem construxitque de illa Eevam. Non de terra formavit eam, ne ei aliena putaretur in natura; neque de anteriori parte eam tulit, ne forte arrogans in eum esset; neque de tergo ejus, ne tanquam vilis reputaretur; neque de latere ejus dextero, ne principatus ei super illum esset; neque de capite, ne primatum concupiseret super eum; neque de pedibus ejus, ne abjecta (ad v. calcata) et contenta esset in oculis viri sui: sed de latere ejus sinistro. Latus enim locus uniens et conjungens est in utraque parte. Requies

<sup>40)</sup> Similiter Gregor. Barheb. in horreo mysteriorum: „in mentem ejus revocavit, non corporaliter ad eum adduxit.“ V. Ass.

<sup>41)</sup> Ar. addit: **ולא כיף חלך** neque modum creationis suaee.

autem, quam Deus in Adam immisit, significat: fecit eum<sup>42)</sup> tanquam dormientem, ne dolorem sentiret, quum costa ex eo sumeretur<sup>43)</sup>. Aspexit autem uxorem suam cum odio et non absque dolore, ne indecentia cogitaret in iis, quae sunt naturae. Quumque Adam (id) apud semetipsum sentiret, vaticinatus est dicens: „Haec os de ossibus meis et caro de carne mea: haec uxor vocabitur.“ Amboque induiti erant lumine, neque nuditatem suam viderunt.

### Caput 15. De Paradiso.

Plantavit Deus in oriente terra longe<sup>44)</sup> ab Oceani mari in monte Paradisum eumque arboribus omni genere fructus ferentibus ornavit, ut Adae et semini ejus pro habitaculo esset, quamdiu mandata ipsius custodirent. Fecitque ex eo flumen magnum scaturire, in quatuor capita se dividens ad irrigandum Paradisum et universam terram. Fluvius primus Phison, exiens et circumdans regionem Hevilath, ibique aurum et beryllus et gemmae bonae et pretiosae. Fluvius secundus Gehon; ipse est Nilus Aegypti. Fluvius tertius Tigris, permeans regionem Assyria et<sup>45)</sup> Beth-Zabdaj. Fluyius quartus Euphrates, fluens per medium terram. Quidam de Doctoribus dixerunt, Paradisum totam terram sicut murum et sepem longe ab Oceani mari circumdare. Alii: super montem Eden situm esse: quindecim cubitos supra omnes montes, qui in mundo universo extant. Alii denique: inter coelum et terram, infra firmamentum et supra terram hanc, Deum illum ibi Adae tanquam terminum inter coelum et terram posuisse. Quodsi mandata Dei custodisset, eum in coelum elevaturum fuisse; cum autem mandatum ejus transgressus sit, in hanc terram eum dejecisse. — Sicutque sublimius et praestantius solum coelorum solo Paradisi: sic et terra Paradisi sublimior et laudabilior et praestantior terra nostra. Pulchriores arbores illius, magisque ordoriferi ejus flores et purior aër nostris pulchritudine speciei, sed

<sup>42)</sup> Ar. „posuit eum inter dormiendum et vigilandum.“

<sup>43)</sup> Ar. יְעֹזֵר, et ad se reversus asp.

<sup>44)</sup> כָּאַג מִן לְהַל s. deinceps, Ar.

<sup>45)</sup> בְּאַוְדָאִי

non natura. — Fecitque Paradiso tale spatium, quale suffecisset incolis ejus, Adamo et semini ejus, si custodissent mandata Dei. — Nunc Paradisus habitaculum est animarum justorum. Ejus autem custodes Henoch et Elias: Henoch maritus, Elias virgo, ne extollantur virgines super uxores, ac si Paradisus solis virginibus conveniret. Animae vero peccatorum extra Paradisum jacent in profundo loco, qui Eden vocatur. Post resurrectionem autem tam justorum quam peccatorum animae corpora resument: et justi quidem coelum intrabunt, fietque coelum justorum terra; pecatores autem super terram manebunt. Arbor autem boni et mali, quae in Paradiso erat, non natura sua hanc bonitatem et malitiam possedit, sicut rationales creaturae, sed ex facinore, quod per eam peractum est, sicut<sup>46)</sup> „puteus contentionis“ et „tumulus testimonii“, qui hanc qualitatem non possidebant, sed propter facta, quae per ipsos evenerunt. Nec quia Adam et Eva concupiverunt et de fructu fici manducaverunt, gloria, qua induiti erant, privati sunt et morte peccati mortui; est enim fructus hic fici praeclarus — omnibus arborum fructibus praestantior: sed propter transgressionem mandati: quia ausi sunt et Dii fieri voluerunt. Propter hanc stultam, impiam blasphemamque mentem castigatio et supplicium iis contigit. De arbore vitae autem, quae in medio Paradiso plantata erat, quidam dixerunt: Paradisum esse mentem, et arborem boni et mali scientiam rerum divinarum, quae inutilis fuerit puerili scientiae Adae. Alii autem arborem vitae regnum coelorum et beatitudinem saeculi futuri esse dixerunt. Alii denique arborem vitae revera in medio paradisi positam fuisse dixerunt; neminem vero cognovisse, quae sit ejus species quaeque poma et qualitas.

#### Caput 16. De peccato Adae.

Cum Deus in bonitate sua Adamum creasset, legem ei dedit praecepitque, ne de arbore boni et mali comedederet, quae est arbor fici. Postquam vero Eva creata est, Adam illi historiam arboris narravit. Audivit satanas accepitque locum et causam ad peccatum eos seducendi, ut invidia sua e Paradiso

<sup>46)</sup> Num. 20, 24. Gen. 31, 47.

expellerentur; propter Adamum quippe de excelso solio gloriae suae exciderat. Alii dicunt, satanam audivisse Deum Adamo imperantem, ne de arbore illa comedederet. Alii: Intus in mente ejus preecepisse ei<sup>47)</sup>. Alii: sensibiliter et manifeste<sup>48)</sup>. Videlique satanas serpentem, quod callidior esset cunctis animantibus quadrupedibus, cecinitque in eo sicut tibia in auribus Evaë et velut organum et dixit ei: Nequaquam morte moriemini, sicut dixit vobis Deus, scientes bonum et malum. Videns Eva ficum, quod pulchra esset aspectu suavisque ordo ratu concupivit de ea comedere et Dea fieri. Extendit itaque manum suam, decerpsit, comedit deditque viro suo, qui comedit. Privati sunt decoro puritatis lumine, quo induiti erant, et nuditatem suam viderunt. Tulerunt ergo folia ficus, operuerunt pudenda sua prae pudore et sub arboribus densis se absconderunt. Vocavit autem Deus Adam dixitque ei: Adam! ubi es? — non ac si Deus locum ejus nescisset, sed accusationis modo. Ait Adam: Vocem tuam, Domine! audivi et me abscondi, quia nudus sum. Deus: Unde, inquit, nuditatem tuam scis? Numquid legem et mandatum, quod tibi imposui, transgressus de arbore comedisti, de quo preecepi tibi: ne comedas de ea? Dixitque Adam: Mulier, quam mihi sociam dedisti, ipsa mihi dedit et comedì. Itemque Evam interrogavit. Quae ait: Serpens me decepit. Maledixit ergo Deus serpenti et ait: Maledictus sis inter omnia animantia terrae. Maledictione serpentis autem, qui instrumentum s. organum satanae est, et satanae ipsi maledictum est, qui per serpentem egerat. Statim enim pedibus peremtis super ventrem suum ambulavit et de bestia et fera serpens et reptile factus est. Deus autem inimicitiam inter serpentem et hominem posuit: ille plantam ejus percuteret, homo caput illius contereret, serpens pulverem comedederet. Evaë autem dixit: In doloribus filios paries. Adae dixit: Maledicta sit terra propter te: In sudore vultus tui panem tuum comedes, quia pulvis es et in pulverem reverteris. Eadem autem hora terra ob maledictum, quod acceperat, spinas et tribulos germinavit. Deus autem eos de Paradiso hora nona ejusdem diei, quo creaverant, ejecit.

<sup>47)</sup> Ar. פִּי עֲקָלָה מַעֲקוֹלָה "עַן מַה שׁוֹשָׁן"

<sup>48)</sup> Ar. תְּאַחֲרָא "מַה שׁוֹשָׁנָא"

**Caput 17. De exitu Adae et Eva de Paradiso.**

Quum (Deus) eos ejecisset, tanquam servos malefactores e haereditate dominorum suorum expulsos, atque in exilium misisset, in Oriente Paradisi ad portam Cherubim et gladium et cuspidem hastae<sup>49)</sup> ad perterrendum Adamum constituit, ne Paradiso appropinquaret. Ait quidam: Cherubim unam de virtutibus coeli e choro Cherubim fuisse; alii: de virtutibus spiritualibus non fuisse, sed imaginem corporalem et horribilem. Sic etiam cuspidem et gladium ignem instar gladii extensem fuisse, abeuntem et redeuntem ad fines Paradisi ad homines perterrendos. — Fecitque eis Deus tunicas pelliceas, quibus pudenda sua tegerent. Nonnulli dicunt, pelles feris eos deglupsisse seseque vestisse. Quod incredibile est, quia omnia animalia bina creata sunt neque illis cultri<sup>50)</sup> erant, quibus mactarent et decoriarent, sed manifeste de corticibus arborum dictum est a. b. Mose, quia cortices loco pellium ligna circumdant<sup>51)</sup>. Extant in regione Indiae arbores cum corticibus, quibus reges et nobiles et divites propter pulchritudinem utuntur. Postquam autem Deus homines de Paradiso ejecit, fructus arborum et usum panis, carnis vinique et unctionem olei eis interdixit; coquebant itaque legumina et olera et herbam terrae magna que cum egestate vitam degebant, cum et quadrupedes et volucres et reptilia in eos rebellarent. Quaedam ex his osores et hostes fiebant et tales permanebant, donec Noë de arca exiret. Tunc Deus eis permisit, edere et bibere panem et vinum et manducare carnem: postquam mactaverunt animal et sanguinem ejus effuderunt. Dicunt quidam: Quum Adam et Eva de Paradiso expellentur, Adamum surculum de arbore boni et mali praecidisse eumque pro baculo secum tulisse. Qui tradebatur a generatione in generationem usque ad Moysen et usque ad crucifixionem Domini nostri. Sique Deus voluerit, hujus (virgæ) historiam suo loco narrabimus.

**Caput 18. Quod Adam Evans cognoverit.**

Quum Adam et Eva de Paradiso exirent, ambo virgines

<sup>49)</sup> Ar. "וְרַמְחָא" וְשָׁנָגָן, et lanceam et cuspidem.

<sup>50)</sup> סִכְנָה

<sup>51)</sup> מַמְלֵין

erant. Post triginta annos Adam Evam, uxorem suam cognovit, quae concepit et Cain una<sup>52)</sup> cum Calma, ejus sorore, peperit. Triginta annis post iterum concepit et simul Abel et sororem ejus Albudam<sup>53)</sup> peperit. Quumque pubuissent, Adam sororem Abeli Cain, huiusque sororem Abelo dare volebat. Cain autem sororem suam magis diligebat, quam sororem Abeli. Ambae quidem sorores ejus erant; sed propter earum nativitatem ex eodem conceptu eas ita appellavi. Soror autem Cain majori pulchritudine erat<sup>54)</sup>. Obtulerunt itaque ambo fratres Deo sacrificium huius negotii causa. Abel quidem, cum pastor esset, de primogenitis ovium suarum pingues magno cum amore et puro corde et laudabili intentione obtulit; Cain autem agricola scoriam<sup>55)</sup> aliquam de fructibus agriculturae sua invitus obtulit, et secundum quosdam galaxiam<sup>56)</sup> tantum. Descendit ignis divinus de coelo et oblationem Abel devoravit. Cain autem contemptus iratus est Deo fratrique invidit; vocavit ergo illum eduxitque in campum et interfecit. Alii dicunt, eum lapidibus fratrem obruisse et interfecisse; alii autem, Satanam ei sub specie bestiarum apparuisse, quae secum pugnant seseque necant. Occidit eum sive hoc sive alio modo. Dixit Deus Cain: Ubi frater tuus? Respondit Cain: Num ego custos fratribus mei sum? Dixit ei Deus: Ecce vox clamoris fratribus tui ad me venit. — Maledixitque Deus Cain affectisque eum terrore et timore omnibus diebus vitae ejus. Ex illo die, quo sanguis Abeli effussus est, non recepit terra iterum sanguinem alicuius animalis, donec Noë de arca exiret. Adam et Eva autem Abelum centum annos lugebant. Anno ducentesimo trigesimo Seth natus est, pulcher ad imaginem Adae, et consolati sunt in eo Adam et Eva. De-

<sup>52)</sup> בחרא כרמא

<sup>53)</sup> Ar. et Syr. אלבורה

<sup>54)</sup> Per multas id genus fabulas legere possumus in Cabbala et in Talmud; cf. Eisenmenger, Entdecktes Judenthum, P. I. p. 320, 321 et.

<sup>55)</sup> סולאנא, Ar. pars sequior rei, quae relinguitur meliore exempta.

<sup>56)</sup> אלחנן הסכ, Ar. הבניא, Lex. Syr. ed. Mich. p. 949. id. qu. Ch. שביל, הבניא "Galaxia". Inter duas codicis nostri columnas nota Syriaca hanc vocem explanat: ה: שביל, רחטא קרב מן הנון רמחין הו לשובא: h. e. spinas frumenti obtulit, ex illis, quas ad comburendum tutuderant.

scendit Cain cum generationibus suis et habitabat in campo; Adam vero et filii ejus, filii Seth, in capite montis Eden. — Descenderuntque filii Seth et viderunt pulchritudinem filiarum Cain et ceciderunt cum eis <sup>57)</sup>. Corrupta est terra et libidine polluta. Adam et Eva his auditis contristabantur. Vixit Adam 930 annos. Secundum quosdam in diebus Seth scientia scribendi in terram exiit; sed Ecclesia hoc non recipit. Quumque Seth <sup>58)</sup> filius annorum 250 esset, genuit Enos, vixitque Seth 913 a. et mortuus est. Enos 290 a. natus genuit Cainan. Enos autem primus nomen Domini invocavit. Secundum quosdam ipse primus libros de cursu stellarum et Signorum (Zodiaci) composuit. Vixit Enos 905 a. Cainan 170 a. natus Malaleel genuit, et vixit Cainan 918 a. Malaleel 165 a. natus genuit Jared, et vixit Malaleel 695 a. Jared filius 162 a. genuit Henoch, vixitque Jared 962 a. Henoch filius 155 a. genuit Mathusalam. Quumque Henoch 365um annum ageret, Deus eum in domum vitae, h. e. in Paradisum transtulit. Mathusalah filius 187 a. genuit Lamech, vixitque M. 969 a. Lamech 192 a. natus genuit Noë vixitque 777 a.

#### Caput 19. De inventione organi h. e. instrumenti ferrarii.

Dicunt: Per Cainan et Tubalcain factum esse, qui ex genere Cain sunt. Illos primum tria instrumenta invenisse: In eudem, malleum et forcipem. Ars quippe ferraria omnium artium mater est, et sicut caput in corpore, ita haec ad reliquas artes. Sicutque desumto de corpore capite omnium membrorum operationes cessant, sic desinente arte ferraria cum ea et reliquae artes deficiunt. — Diebus autem Jubal et Tubalcain, filiorum Lamech coeci, Satanas intravit habitavitque cum eis, et omnis generis instrumenta, citharas scilicet et tibias, construxerunt. Juxta quosdam spiritus cannas introibant easque movebant, venitque harum vox sicut vox spalterii et tibiae. Construxerunt autem homines omnia instrumenta psalterii. Lamech

---

<sup>57)</sup> יְקַעֵן הָו עֲמֹרִין, scil. in fornicatione, Ar. בְּנוֹתָא מְעֹהֶן. Cf. Lexicon Syr. Castelli ed. Michael. p. 558. lin. 1.

<sup>58)</sup> I. Regg. 13, 1. In suppuratione annorum Graecam versionem sequitur.

hic caecus venator erat et arcu directe jaciebat. Apprehendebat filius ejus manum patris eique receptacula praedae indicavit; quumque de bestia audivisset, hastam jaciebat eamque venabatur. Quumque quadam die hastam in feram conjiceret, Cain filium Adae homicidam percussit et interfecit.

### Caput 20. De Noë et diluvio.

Noë filius 500 a. uxorem duxit de filiabus Seth, natique sunt ei tres filii: Sem et Cham et Japhet. Vidiisque Deus probitatem et sinceritatem Noë. Omnes vero homines corrupti et libidine polluti erant. — Voluitque genus humanum per amplam terram dissipare. Quod nuntiavit b. Noë imperavitque ei, ut faceret arcam ad ipsum salvandum filiosque ipsius et reliqua animantia. Construxit itaque centum annis arcam fecitque in ea tristega; haec omnia instar nidorum et podiorum<sup>59)</sup> fecit: singulos nidos cubitum unum longos et palmum (majorem) latos. — Arcae longitudo trecenti cubiti, altitudo triginta cubiti latitudo quinquaginta cubiti. Fecit autem eam de ligno laevigato<sup>60)</sup> (viminis in Polygl. Lond.), juxta quosdam de ligno hebeno, eamque bitumine intrinsecus et extrinsecus illavit<sup>61)</sup>. Anno 106.0 completo, Deus Noë imperavit, ut intraret ipse et uxor ejus et filii et nurus, octo animae atque secum inferret de animalibus et volucribus mundis septena paria, de immundis vero unum par — masculum et feminam. Tulitque panem et aquam pro indigentia, non abunde, ne stercorum foetore molestarentur; cibi autem tenacitatem (halitus<sup>62)</sup>) acceperunt. — Deus autem b. Noë septem diebus ante praedixit, quae facturus erat: ut forte peccatorum recordarentur et poenitentiam ficerent. Illi vero luxuriosi illudebant ei moveruntque labia sua polluta in voce serrarum et dolabrarum. — Septem diebus post imperavit Deus Noë, ut portam arcae clauderet eamque bitumine liniret. Apertique sunt fontes abyssi de infra et imbre pluviarum de supra 40 dies et 40 noctes incessanter (venerunt), donec aquae

<sup>59)</sup> חַרְיוֹנָה, Ar. גַּדְנָפָא

<sup>60)</sup> עֲרָקָא

<sup>61)</sup> Verbum קָרְבָּה in lex. Cast. non extat.

<sup>62)</sup> מסך אלרייך Ar. מַטֵּר נֶפֶשׁ

15 cubitos supra montes excelsos, qui in mundo sunt, efferrentur. Aquae autem arcam portaverunt vectaque est arca in aquis de Oriente ad Occidentem et de Aquilone ad Meridiem signavitque figuram Crucis super mundum et transgressa mare Oceani in terram hanc amplam venit. Prohibitaeque sunt pluviae et flaverunt venti et steterunt aquae super terram sine defectu 150 dies praeter illos<sup>63)</sup> (qui sunt omnes) 40 ab ingressu Noë in arcam et initio diluvii. Donec aquae deficerent, 190 dies (transierunt) vel 6 menses et 10 dies usque ad vigesimum Novembribus. Cooperunt ergo aquae decrescere a Novembri usque ad decimum mensem. Prima die hujus mensis cacumina montium apparuerunt; donec exsiccaretur terra et columba requiem inveniret, ubi requiesceret planta pedis ejus, 100 dies transierunt. Requievitque arca in cacumine mantis Cardu<sup>64)</sup>, et decimo mense qui est Schebath, Noë portam arcae aperuit dimisitque corvum, ut sibi nuntium de terra reportaret. Exiens itaque invenit cadavera et remansit super ea, nec reversus est. Propter quod homines parabola de hoc corvo proverbialiter utuntur. Iterum dimisit columbam, quumque non inveniret locum, ubi maneret, ad arcam reversa est. Post 7 dies alteram columbam demisit, quae vespere rostro<sup>65)</sup> suo folium olivae portans rediit. Cognovit ergo Noë, aquas diminutas esse. Totum annum Noë in arca mansit; egressusque de ea sacrificium de animalibus mundis obtulit. Accepit Deus sacrificium ejus promisitque ei, se non amplius diluvium super faciem terrae adducturum (esse) neque unquam animalia et homines diluvio perditur. Dedit ei arcum in nubibus in signum, et ex illa die apparebat arcus in nubibus. Praecepitque ei, ut mactaret et manducaret carnem jumentorum et volucrum — sanguine ipsorum effuso. Numerus hominum, qui de area exierunt, octo animae. Aedificaverunt oppidum Themanon de nomine „Themane“ h. e. octo animarum dictum; estque hodie sedes episcopalnis in provincia Sobensi. — Plantavit autem Noë vineam bibitque de vino ejus. Quadam die, quum dormiret et requies-

<sup>63)</sup> desunt haec verba in textu Arabico.

<sup>64)</sup> Ar. דָּקְרָרָן (גורי) „mons Ararat, in quo substitit arca Noë“.

<sup>65)</sup> Ar. בְּמִקְוֹתָה (מקואה) In Cast. Lex. legimus: מַקּוֹאָה avis velox viridis coloris“!!

ceret mersusque esset somno piae ebrietate, nuditas ejus et verenda detecta sunt in tabernaculo. Quod cum vidisset Cham, filius ejus, risit et contempsit eum nuntiavitque fratribus suis Sem et Japhet. Imposuerunt autem Sem et Japhet pallium humeris suis et incedentes retrorsum ad eum facies suas averterunt; projecerunt pallium super patrem suum, operuerunt eum et tunc aspexerunt. Evigilans autem Noë cum didicisset, quod ipsi ab utraque parte filiorum suorum factum erat, maledixit Chanaan, filio Cham, et dixit: Servus esto fratribus tuis! Sem et Japhet autem benedixit. Causa vero, ob quam Chanaan, qui nondum natus erat neque peccaverat, maledixit, haec est: quia Cham cum eo per arcam ab aquis diluvii salvatus erat et cum patre suo et ipse benedictionem acceperat, et quia futurum erat, ut a semine ejus artes peccaminosae psalterii et saltationis omniaque facinora invisa repristinarentur; de Chanaan quippe haec ars psallendi exivit. — Noë autem post diluvium filius natus est, quem Jonathan vocavit et donis affectum in Orientem ad ignem Solis misit. Vixit Noë post diluvium 350 annos. Omnes anni ejus 950. 18 generationes et progenies ante et post se vidit et feria quarta secundo die Nisan — secunda diei hora mortuus est. Sem primogenitus ejus eum condivit aromatibus, filiique ejus eum sepeliverunt et quadraginta dies luxerunt.

### Caput 21. De Melchisedech.

Neque pater neque mater hujus Melchisedech in historiis scribitur: non ac si parentes naturales ei non fuissent, sed tantummodo scripti non sunt. Plerique Doctorum autem dicunt de semine Chanaan, cui Noë maledixit, eum fuisse. In Chronographia vero affirmatur, de semine Sem, filii Noë, eum fuisse. Sem genuit Arphaxad et Ar. genuit Cainan. Cainan genuit Sale et Malee. Sale in historiis scriptus est, Malee autem non scriptus est, quia de eo in historiis agi non oportebat. — Quumque Noë moreretur, mandavit Sem de ossibus Adae, quia cum ipsis in arca fuerant atque de terra Eden in hanc terram translata erant. Intravitque Sem arcam et eam annulo signatorio patris sui signavit dixitque fratribus suis: Pater meus mihi praecepit, ut abiens principia fluminum et maria et con-



ditionem terrae viderem et redirem. — Dixitque Malee patri Melchisedechi et matri ejus Iosedec: Date mihi filium vestrum, ut mecum sit; ecce! uxor mea et filii mei apud vos. — Dixerunt ei: Accipe, Domine! servum tuum et Angelus pacis sit tecum liberetque te a bestiis et ex terra deserta. — Intravit Sem nocte arcam, tulit thecam Adae, signavit arcam fratribusque suis: Pater meus, inquit mihi praecepit, ne quis aream ingrediatur. Nocte profectus est, et Angelus pacis ante eum, Melchisedech cum eo, donec ad locum illum venirent et consisterent, quo Dominus Noster crucifixus est. Quum cistam ibi deposuissent, terra haec in figuram Crucis scissa illam deglutivit iterumque clausa ad pristinam conditionem rediit. Tunc Sem manum suam capiti Melchisedech imponens benedixit ei tradiditque sacerdotium et praecepit, ut ibi usque ad finem vitae suae habitaret. Dixit ei: Vinum et siceram non bibes, et novacula super caput tuum non ascendet. — Sacrificium de animalibus Deo non offeres, sed farinam et oleum et vinum. Aedificium tibi non aedificabis. Dominus patrum tuorum sit tecum. Reversusque est Sem ad fratres suos. Dixerunt parentes Malee: Ubi filius noster? Respondit Sem: Mortuus est apud me in itinere et a me sepultus. Planxerunt eum mensem di-  
erum. Melch. autem remansit in loco suo, donec moreretur. Quumque senuisset, ad reges terrae fama ejus pervenit. Undecim reges congregati sunt et venerunt, ut eum viderent petiverun-  
que ab eo, ut secum iret, sed iis nequaquam obsecutus est. Quum-  
que eorum voluntatem non perficeret, urbem ei in loco isto aedificarunt, quam Jerusalem appellavit. Dixerunt reges ad in-  
vicem: Hic rex universae terrae et pater gentium. Abraham cum e bello gentium reverteretur et montem Jerosolymorum transgredederetur, Melchisedech in ejus occursum egressus est. Adoravit Melchisedechum deditque ei decimas ex omnibus, quae secum habebat. Et amplexatus Melchesidech Abrahamum benedixit ei deditque de pane et vino, quae in sacrificium ob-  
tulerat.

### Caput 22. De generationibus Noë.

Filius Sem. Cum ipso Sem 27 generationes sunt. Aelam, de quo Aelamitae. Assur, de quo Assyri. Arphaxar, de quo Persae.

Lud et Aram, de quibus Aramaei et Damasceni et Haranitae. Pater ergo omnium filiorum Heber Arphaxar est. Sale genuit Heber. Nati sunt Heber filii duo; nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra. Ex quo cognoscitur, linguam Syriacam apud Heber mansisse: quia, cum linguae confunderentur et terra divideretur, natus est. Phaleg nomine Syriaco appellatus est, quod in diebus ejus existebat. Post eum Jeetan natus est, de quo 13 gentes sibi vicinae, quae lingua Syriaca utebantur. Et facta est habitatio earum de Menasche Sepharvim monte prope terram Chanaan et ad Orientem, incipientes ab Aram et Damasco et pervenientes usque ad Baischan et Aelam et istarum regionum fines: Assur et Orientem et Persidem, meridiem versus sitam, et mare magnum. Hebraeus autem pro Menasche Maischan habet<sup>66)</sup> „et usque ad Sepharvim habitabant filii Jeetan.“ — Filii Cham. Cum Cham 36 generationes sunt praeter Philistaeos et Cappadoces. Cusch, de quo Cuschitae, et Mesrim, de quo Aegyptii. Phut, de quo Phutaei. Chanaan, de quo Chanaanaci: septem reges, quos Josue Bar-Nun interfecit. Filii Hubar — Saba et Hevila, de quibus Indi et Amorhaei et Samaraei et Mataraei et omnes habitatores Austri. Chus genuit Nemrod, qui primus rex post diluvium erat. Fuitque principium regni ejus Babel, quam ipse aedificavit; ibidem et regnabat. Deinde has urbes post divisionem linguarum aedificavit: Arach, quae et Edessa, et Achad, quae et Nisibis, Chaliam, quae et Ctesiphon. Terram Sennaar terram „Babel“ appellavit, quia in ea linguae „confusae“ sunt. Semnaar enim Hebraice interpretatur „divisio.“ De terra illa egressus est Assur et aedificavit Niniven et vicum Rahbut, qui est Arbelaa. Bolus enim, filius Nemrod, primus de Babel migrasse et Assur venisse perhibetur. Post Bolum Ninus, ejusdem filius, Niniven aedificavit eamque nomine suo appellavit; item et Arbelam et Chale, quae est Chatara<sup>67)</sup> et Resen, quae est Resaina. Mesrain autem genuit Ludim, de quo Lybi, et Lahabim, de quo Tabathaei, et Lahabim, de quo Lybi; Japhtuim et Phetrusim et Chasluim, de quibus egressi sunt Philisthiim et Gadaraei et Sodomitae. Chanaan autem genuit Sidonem, primogenitum suum, de quo Tyrii et Sidonii:

<sup>66)</sup> Ar. „quia a Menache usque....“

<sup>67)</sup> Mesopotamiae oppidum, regionis Tirhanae, et קְרָנָה scriptum. Ass. B. O. T. III. I. p. 97.

decem populi, qui juxta populum Israël habitabant a mari usque ad Euphratem: Kessaei et Kiraei<sup>68)</sup> et Kadmonaei, qui sunt inter filios Esav et<sup>69)</sup> familiam ejus, et filii Lot de filiis Cham sunt. — Filii Japhet. Cum J. 15 generationes sunt. Gomer, de quo Gaathaei, et Magog, de quo Galatae. Madai, de quo Medi; Javan, de quo Graeci. Thubal, de quo Bithynii. Mosoch, de quo Mysi. Thiras, de quo Thraces<sup>70)</sup> et Anceschlaei et Ach-schaclaei. — Filii Gomer: Aschenez, de quo Aramaei; Danphor, de quo Cappadoces; Thogorma, de quo Asiani et Ansuraei. Filii Javan: Elisa, qui est Hellas; Tharsis<sup>71)</sup>, Cilicia; Cyprus; Cetim;<sup>72)</sup> Doranim; Macedones. Ab his divisi sunt in insulas gentium. Hae sunt generationes filiorum Noë. Ab his autem divisae sunt gentes in terra post diluvium; suntque 72 generationes, et secundum nationes sunt et totidem linguae. —

### Caput 23. Genealogica series a diluvio deinceps.

Sem erat 100 annorum, quando genuit Arphaxad — biennio post diluvium. Summa<sup>1</sup> annorum ejus 600. Arphaxad a. 130.o genuit Cainan. Omnes anni ejus..... Cainan a. 139.o genuit Sale. Omnes anni ejus 438. Sale a. 130.o genuit Heber. Omnes anni ejus 433. Heber a. 104.o genuit Phaleg. Omnes anni ejus 464. Phaleg a. 130.o genuit Reu. Omnes anni ejus 139. In diebus Reu lingua in 72 linguas divisa est; adhuc enim una tantum lingua erat, scil. Aramaea, quae est omnium linguarum mater. Reu a. 132.o genuit Sarug. Omnes anni ejus 239. Sarug a. 130.o genuit Nachor. Omnes anni ejus 130. In diebus Sarug homines simulacula et sculpturas adorabant. Nachor a. 79.o genuit Thare. Omnes anni ejus 148. In diebus Nachor ars magica in mundo incepit. Aperuitque Deus custodiam spirituum et superiorum, qui idola et simulacula deleverunt. Collegerunt enim ea atque inhumaverunt et tumulos, qui in mundo sunt, super

<sup>68)</sup> אלקנאיין קיריא (Ar.)

<sup>69)</sup> Ar. אַהֲלָה Syr.

<sup>70)</sup> תְּרִיקִיא (Ar.)

<sup>71)</sup> Ar. Tarsus טְרָסֹוּם (Ar.)

<sup>72)</sup> pro „Doranum“, ut supra Arpaxar pro Arpaxad. Ephraemus simili vitio Achar pro Achad legit.

ea constituerunt. Quod vocatur „Diluvium spiritus“. — Thare a. 70.0 genuit Abraham. Omnes anni ejus 105. Ab Adamo ergo ad diluvium 2242 a.; et a diluvio usque ad nativitatem Abrahae 1081 anni. Suntque ab Adamo ad Abrahamum 3323 anni. Et scitote fratres, mei lectores! multum discriminis esse inter suppurationem Ptolemaei<sup>73)</sup> et suppurationem Hebraeorum et Samaritanorum. Quoniam Judaei ab initio annorum uniuscuiusque generationis centum annos diminuentes, eos in fine praedictarum generationum addidere, ut confusa hoc pacto suppuratione, homines deciperent, Christique adventum falsum redderent evincerentque, Christum in fine saeculi et in novissimis temporibus adventurum esse.<sup>74)</sup> — Et ecce! juxta sermonem vestrum milliario quarto advenit; sic enim accidit secundum suppurationem eorum.

#### Caput 24. De aedificatione turris et divisione linguarum.

Quum Reu in diebus Phaleg natus esset, congregati sunt filii Noë Sem, Cham, Japhet, Arphaxad filiique eorum in Sennaar et inierunt consilium inter se dicentes: Venite, aedificemus nobis turrim altam, cuius culmen ad coelum pertingat, ne iterum veniens diluvium nos a facie terrae deleat. Cooperunt ergo lateres caedere et aedicare, donec multum elevaretur super terram. Et postea 72 turres in circuitu hujus turris aedicare et in quavis turri principem unum constituerem volebant. — Videntque Deus vanitatem et duritiem laboris eorum et eis in misericordia sua pepert, quo magis enim ascendebat, eo magis labor eorum aggravabatur. Multa quoque erat eorum infirmitas propter vehementiam turbinum et procellarum et calorem luminarium et quia ea, quibus (ad opus suum) indigebant, in altum evichi oportebat. — Dixitque Deus: Venite, descendamus et dividamus linguas. Hoc quoque simili est illi „Venite faciamus hominem

<sup>73)</sup> „h. e. Versionis Graecae jussu Ptolemaei Regis a LXX interpretibus editae.“ Assem.

<sup>74)</sup> Quae etiam Gregorii Barhebr. sententia est, quam ap. A. S. legimus.

ad imaginem et similitudinem nostram<sup>75)</sup> et personas adorandae Trinitatis indicat. Quumque illi se angustiarent hoc opere vano<sup>75)</sup>, subito linguae eorum in 72 linguas confusae sunt neque cognoverunt amplius alter alterius linguam. Dispersi sunt in universum mundum et aedificarunt urbes: quisque cum eo, qui suae erat linguae. Ab Adamo enim ad turris constructionem una erat in mundo lingua, Aramaea scil. (seu Syriaca)<sup>76)</sup>. Sunt qui dicant, fuisse linguam Hebraicam. At Hebrei hoc nomine appellati non sunt, nisi postquam Abrahamus trajecto Euphrate fluvio in Haran habitavit. Ex „transitu“ Abrahami Hebrei dicti sunt. Acciditque Phalego morbus, quia in diebus ejus Deus linguas hominum confuderat, et mortuus est atque a filii suis Sarug et Nacher in Phalgin urbe sepultus, quam nomini suo aedificaverat.

### Caput 25. De Abraham.

Thare, pater Abrahae, duas uxores duxit; alteram, cui nomen Jona, ex qua Abraham genuit; alteram, cui nomen Schelmath, ex qua Saram genuit. Mar Theodorus ait: Saram Abrahae<sup>77)</sup> consobrinam fuisse, avunculum patris loco ponens. Quum esset Abraham 70 annorum, Deus ei, ut Haran pergeret, praecipit. Tulit ergo Saram uxorem suam et Lot filium fratris sui et transgressus fluvium Euphratem habitavit in Haran. Anno 86.o de ancilla Sarae Hagar Aegyptiaca ei Ismael filius natus est, quam Pharao rex Sarae dederat, quum eam Abrahae restitueret. Apparuit autem Deus Abrahae sub queru Mamre. 100 annorum erat Abraham, quum ei Isaac, filius promissionis nasceretur. Quumque Deus Abrahae praeciperet, ut Isaacum super altare offerret, ad locum singularem eum ad sacrificandum misit, quo D. N. secundum traditionem Orthodoxorum crucifixus est. Sara mortua Abraham Ceturam, filiam Jactan, regis Thurcorum, uxorem duxit. Quumque Isaac 40 annorum esset, Eleazar Damascenus, servus Abrahae, in urbem Varham de-

<sup>75)</sup> רְשֵׁגָמָא Ar. בְּתַאֲלָ

<sup>76)</sup> Idem sentit Gregorius Barhebraeus apud Assem.

<sup>77)</sup> filiam patruelis, Ar. עַם

scendit et Rebeccam, filiam Bathuel Aramaei, Isaaco filio domini sui despontavit. Mortuus est Abraham 175.0 aetatis suae anno et juxta Saram uxorem suam in spelunca duplice, quam ab Ephron Hethaeo emerat, depositus. Quumque Isaac annum 60.um ageret, duo filii Jacob et Esau ei nati sunt. Eodem tempore Arbela aedificata sunt. Secundum quosdam rex, qui hanc urbem aedificavit, Arbol appellabatur. Anno 66.0 Isaaci Jericho aedificata est. Esau autem genuit Rahuel et Rahuel Zaram et Zara Jobab, qui est Job<sup>78)</sup>.

### Caput 26. De temptatione Job.

„Vir erat in terra Hus, nomine Job; et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum. Nati sunt ei septem filii et tres filiae, et fuit numerus possessionis ejus septem millia ovium et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum et quingentae asinae ac familia multa nimis; eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filii ejus et faciebant convivium. Cum autem quadam die filii ejus et filiae comedenter et biberent in domo fratris sui primogeniti, Angelus Domini<sup>79)</sup> ad Job venit dicens: Boves arabant et asinae juxta eos pascebantur, et irruerunt latrones et abstulerunt eos, et pueri occisi sunt, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. Adhuc eo loquente, venit alter dixitque ei: Ignis Dei cecidit e coelo et conflagravit oves et pastores et consumsit eos, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. Sed et illo adhuc loquente venit alius et dixit ei: Chaldaeи fecerunt tres turmas et invaserunt camelos et tulerunt eos, necnon pueros percutserunt gladio, et evasi ego solus, ut indicarem tibi. Adhuc eo loquente, intravit alius dixitque ei: Filiis tuis et filiabus edentibus et bibentibus in domo fratris sui primogeniti repente ventus vehemens irruit et impegit in angulos domi, quae corruens liberos tuos opprescit, et mortui sunt, et evasi ego solus et veni, ut nuntiarem

<sup>78)</sup> Cf. Gregorii Barhebraei Scholia in librum Jobi ed. Bernstein, Vratisl. 1858. p. 9. „Sanctus Julius (Africanus?) et Epiphanius dicunt, ex filiis Esavi a Besmath filia Ismaelis originem trahentibus esse Jobum, ipsumque esse Jobabum, filium Zarahi, filii Reuelis, filii Esavi ct.

<sup>79)</sup> Ar. nuntius, לשל

tibi. — Tunc surrexit Job et scidit vestimenta sua et tonso capite corruens in teram adoravit et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar. Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum! In omnibus his non peccavit neque Deum blasphemavit. Percussitque Satan Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus. Sumsitque testam sibi ad radendum sedens in cinere. Dixit autem illi uxor ejus: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Maledic (!) Deo et morere! Respondit ei Job: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; bona Dei accepimus, et mala ejus quare non suscipiamus? Et in omnibus his non peccavit Job neque maledixit Deo labii suis. — Audientes autem tres amici Job malum, quod ei accederat, venerunt singuli de loco suo, ut eum consolarentur. Nomina autem eorum haec sunt: Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, Sophar Naamathites. Quumque venissent et elevassent procul oculos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt scissisque vestibus sparserunt pulvere super caput suum in coelum. Et sedebant cum eo in terra septem diebus et septem noctibus non loquentes verbum; videbant enim, vehementem esse plagam ejus. — Cumque sustineret in Deo suo, benedixit ei deditque ei septem filios et tres filias, neque inventae sunt mulieres speciosae, sicut filiae Job, in universa terra. Deditque ei Deus quatuordecim millia ovium et sex millia camelorum et mille jugera boum et mille asinas. Vixitque Job post temptationem suam 140 annos et mortuus est in pace.

### Caput 27. Isaac Jacobo benedicit.

Jacobo 77 annos nato Isaac pater ejus benedixit, et fratri suo ille benedictionem et primogenituram abstulit fugitque coram eo Haran. Vedit autem Jacob prima nocte scalam de terra ad coelum et Angelos ascendentibus et descendebant et virtutem Domini in capite ejus. Et exurgens dixit: Haec domus Domini; tulitque lapidem, quem capiti suo supposuerat, et erexit eum pro altari et vovit Deo votum. Scala autem typus crucifixionis Christi est; Angeli, qui ascendebant et descendebant, typus Angelorum, qui pastoribus nativitatem Redemptoris nostri annuntiarunt. Virtus autem Dei, quae in capite scalae erat, re-

velatio Dei Verbi in corpore puro, quod de figmento Adae. Locus, quo visio apparuit, typus Ecclesiae; et lapis, quem in titulum erexit, typus altaris, sicut oleum, quod super eum effundebat, chrismati sacro, quo altare ungimus, simile. — Abiitque ad Laban Aramaeum, fratrem matris suae, et exercebat coram ipso pasturam ovium quatuordecim annos; duxitque duas filias ejus uxores: Liam et Selpham, ancillam ejus, cum illa; et Rachel ejusque ancillam Balham cum ea. Rachel autem magis diligebat, quam Liam; Rachel enim, minor natu, pulchra erat aspectu, Liae autem oculi lippi. Nati sunt autem ei ex Lia sex filii: Rubel, quod interpretatur: „Magnus (potens Ar.) est Deus.“ Erat Jacob hoc tempore 84 annos natus. Simeon, quod interpretatur „obediens.“ Levi — „Perfectus.“ Judas — „Confessio“. Issachar — „Prope est spes.“ Zabulon. — Ex Rachel duo filii: Joseph — „Additio, et Benjamin, „filius consolationis.“ Ex Zelpha duo filii: Gad et Aser — „Canticum.“ De Balha duo filii: Dan — „iudicium“, et Nephthali — „confortator“. Et filia unica, cui nomen Dina. Post viginti annos Jacob ad Esau rediit. Isaac autem 180 annos vixit. Viginti tribus annis postquam Jacob ad patrem suum ascendit, Joseph a fratribus suis viginti (argenteis) denariis Madianitis venditus est. Quumque Isaac moreretur, Jacob centesimum vigesimum annum agebat.

### Caput 28. De Joseph.

Natis Jacobo ex Lia filiis, Joseph (demum) et Benjamin ei nati sunt. Diligebat autem Josephum super omnes filios suos: eo quod filius senectutis suae esset, et propter ejus pulchritudinem, et puritatem, et quia matre orbatus esset. Fecitque ei tunicam polymitam<sup>80)</sup>. Invidebant ergo ei fratres ejus. Et somniatus est bis somnium; et multiplicatum est odium eorum et inimicitiam adversus eum in cordibus suis tenentes eum Madianitis vendiderunt. Madianitae vero eum in Aegyptum duxerunt et Putiphari, principi satellitum vendiderunt, qui domum suam et servos suos curae ejus mandavit. Propter impudicitiam

<sup>80)</sup> דְּפִידִתָּא (Ar. מַטְרֵן), figuris aeu pictis ornatam.

uxoris Putiphar vincetus et duos annos in carcere inclusus est. Quumque somnium viderent praepositus pincernarum et magister pistorum una die, et Joseph somnia eis interpretaretur verbumque ejus impleretur, post duos annos, quos in captivitate degenerat, Pharaeo rex duo somnia eadem nocte vidit, et timuit ac perturbatus est. Neque poterant magi et incantatores et docti somnia ejus interpretari. Tunc reminiscentes, qui cum ipso vincti tenebantur, Pharaoni indicaverunt, et interpretatus est somnia Pharaonis; fecitque Pharaeo eum regnare super Aegyptum. Collegit autem et reposuit Joseph frumentum septem annorum pinguium et in septem annos famis conservavit. Quumque panis familiae Jacob deisset, Jacob filios suos in Aegyptum ad emendum frumentum misit. Occurrerunt Joseph, qui eos cognovit; ipsi vero non cognoverunt eum. Et postquam eos bis verbis severis cruciavit, tandem se iis revelavit et fratribus suis se ostendit. Misitque et attulit Jacob patrem suum et omnem familiam ejus, 75 animas et descenderunt et in terra Aegypti 230 annos habitaverunt. Illud vero, quod Deus Abraham dixerat: erit semen tuum peregrinum in terra aliena, (sic intelligendum): 430 annos postquam Deus hoc ad Abraham dixerat, sub ditione secundum suppurationem suam erant, donec de Aegypto exirent. Mortuus est autem Jacob in Aegypto sequente ad patres suos sepelirijussit. Portantes ergo eum ad patres ejus in terra Palaestinae sepelierunt. Joseph mortuo alias rex surrexit, qui Joseph ignorabat, et filios Israel operationi fatiganti luti subegit. Illo tempore Moses in Aegypto natus est. Quia vero multi Joseph historiam longis scripsere et b. Mar Ephraem tredecim sermonibus eam descriptis, de omnibus quae ei a juventute usque ad mortem accidere deque translatione ossium ejus, — historiam ejus longius describere praetermittimus, ne finem nobis propositum transgrediamur, colligendi scilicet hanc collectionem.

### Caput 29. De Mose et filiis Israel.

Josepho mortuo rex alias surrexit, qui non novit populum Israel, populum magnum et per Aegyptum dilatum. Timuitque eos Pharaeo iisque onus imposuit, et serviebant in operatione dura luti. Exegit autem ab iis numerum laterum, non dans eis

galaxiam. Eodem tempore Moyses, filius Amram filii Kahath filii Levi, natus est. Levi autem 46.um annum agebat, quum Kahath gigneret. Kahath f. 63 a. genuit A. Amram filius 70 annorum genuit Moysen. Quumque Moyses natus esset, Pharaon rex infantes filiorum Israel in flumen projici jussit. Moyses autem pulcher aspectu erat, et Pantel et Amlachjas vocabatur. Aegyptii vero eum eunuchum<sup>81)</sup> filiae Pharaonis nominabant. Nomen matris Moysis Jochabed. Quumque mandatum regis de dimersione puerorum exiret, mater Mosis cistam parvam pice illitam fecit puerumque in ea posuit. Portavitque eum et cistam ad ripam Nili, qui est Gihon, posuit seditque ex ejus adverso, ut videret, qualis finis pueri esset. Venit autem Sephora, filia Pharaonis, ut in flumine lavaretur. Secundum quosdam Tarmesis vocabatur. Vidensque fiscellam eam afferri jussit; quumque aperiuisset et puerum, quod pulcher aspectu et eleganti colore esset, vidisset: vere, inquit, de infantibus Hebraeorum hic est. Suscepitque eum et filium sibi educavit; et quum nutricem Ebraeam quaereret, mater pueri Moysis venit eique nutrix facta est, et educabatur in domo Pharaonis usque ad quadragesimum annum. — Quadam autem die Phatnum Aegyptium cum viro Israelita contendentem vidit et huic conviantem: eratque unus ex servis Pharaonis. Cumque Moses huc atque illuc circumspexisset et neminem adesse videret, supervenit ei zelus et interfecit Aegyptium et sabulo abscondit. Postero die vidit duos Ebraeos rixantes. Dixitque eis: Viri fratres, cur contenditis inter vos? Repulit eum alter eorum discens: Numquid et me interficere vis, sicut heri Aegyptium infecisti? Timuitque Moses ne Pharaon comperiret et ipsum occideret. Fugit ergo in Madian et juxta puteum, qui ibi erat, seddit. Erant autem Ragueli Madianitae septem filiae, quae ad hunc puteum venerunt ut greges patris sui potarent. Supervenerunt autem pastores easque repulerunt; surrexit ergo Moyses et liberavit eas ovesque earum ad aquavit. Quumque ad patrem suum revertissent, dixit eis: Hodie cito venistis. Responderunt: Vir Aegyptius liberavit nos de manibus pastorum, et ovibus quoque potum dedit. Dicit eis: Quare eum non adduxistis? Abite velociter eumque hoc vocate, ut panem nobiscum come-

<sup>81)</sup> קצ'וֹת Ar. שׁכּוֹתָא

dat. Venitque Moses in domum Raguel et habitabat cum eo. Dilexit autem eum eique Sephoram Cuschitam filiam suam uxorem dedit; dixitque ei: Veni in domum meam, et accipe virgam pasturae et exi, pasce oves meas. Quumque Moyses domum intraret, ut virgam acciperet, dispositione divina virga ei (oblata est) se obtulit, et hac accepta ad pascendas oves socii sui oves exiit.

### Caput 30. Historia virgae Moysis.

Quum Adam et Eva de Paradiso exirent, sciens Adam, se iterum in locum suum reversurum non esse, virgam de arbore boni et mali, quae arbor fici est, praecidit eamque secum portans exiit, factaque est ei baculus omnibus diebus vitae. Post ejus obitum Seth, filius ejus, eam portabat, quia et hoc tempore arma nondum erant. Tradebatur autem de manu in manu usque ad Noë, et a Noë ad Sem; a Sem tanquam benedictio e Paradiso Dei ad Abraham tradita est. Abraham eadem simulacra et sculptilia et idola, quae pater ejus fecerat, confregit. In manu ejus virga haec ubique erat, usque in Aegyptum et ex Aegypto in Palestinam. Deinde Isaac eam accepit, et ab Isaac ad Jacob pervenit. Qui hac greges Laban Aramaei in campo Aram pascebatur. A Jacob Judas eam accepit, quartus filiorum ejus. Hunc baculum Judas Thamar, nurui sua, cum annulo signatorio et pallio in mercedem eorum, quae fecerat, dedit. Ab eo ad Phares pervenit. Tunc bella in omni regione erant; asportavit ergo Angelus virgam eamque in spelunca thesaurorum in monte Moab recondidit, donec Madian aedificata esset. In Madian autem vir rectus et justus coram Deo erat, cui nomen Jethro. Qui cum oves in monte pasceret, inventit speluncam et dispositione divina virgam tulit; eaque oves usque ad senectutem suam pascebatur. Quumque Jethro virgam suam Moysi daret: Veni, inquit, fili mi; accipe virgam et oves tuas. Quum igitur limen attingeret, Angelus virgam movit, et sua sponte exivit. Portabatque Moyses hanc virgam usque ad tempus illud, quo Deus cum eo in monte Sinai locutus est. Quumque ei diceret: Projice virgam in terram, et eam proiecisset, facta est draco magnus. — Dixitque Dominus: Apprehende illum! — Apprehenditque eum, et factus est virga, sicut

antea fuerat. Hancque virgam ei in adjutorium et redemptionem dedit, ut miraculum esset, eaque Israel a servitute Aegyptiorum liberaret; ipsa quoque draco in Aegypto nutu Dei vivi facta est. Per eam Deus ad Moysen loquebatur, eaque virgam Phusdi, incantatrixis Aegyptiorum percussit. Eadem mare rubrum in longitudinem et latitudinem percussit, et condensatae sunt abyssi in medio mari. Haec virga in manu Mosis erat in deserto Asemona; qua et durissimam petram<sup>82)</sup> percussit et fluxerunt aquae et (Ar. ab ea) exierunt. Tunc Deus filios Israel serpentibus tradidit perdendos; exacerbaverant enim ipsum ad aquas contradictionis. Oravit autem Moyses coram Domino. Dixit ei Deus: Fac serpentem aeneum virgaque eum extolle, et aspicient in eum filii Israel et sanabuntur. Fecit Moses, sicut ei Deus praeceperat, et erexit serpentem aeneum in conspectu omnium filiorum Israel in deserto; et aspicientes in eum sanati sunt. Quumque omnes filii Israel exceptis Josue Bar-Nun et Caleb Bar-Jephone mortui, (hique) terram promissionis ingressi essent, virgam secum propter bellum cum Palaestinensibus et Amalecitis tulerunt. Phinees virgam in deserto in pulvere ad portam Jerusalem abscondit; ibique erat, donec Christus nascetur, qui voluntate Deitatis sua eam Josepho viro Mariae ostendit. Haec virga in manu ejus erat, quum in Aegyptum cum Jesu et Maria fugeret, donec Nazareth reverteretur. A Josepho Jacob, filius ejus, eam accepit, cui cognomentum fratris Domini erat. A Jacob Judas Iscariotes eam furatus est, „quia fur erat.“ Quumque Judaei D. N. crucifigerunt, eis lignum ad brachia D. N. (affigenda) defuit; deditque eis Judas virgam in malitia sua, quae ipsis judicium et ruina facta est, multis quoque resurrectio. — Natique sunt Moysi duo filii: alter nomine Gerson, quod interpretatur „Advena“; alter nomine Eliezer, quod interpretatur: „Deus adjuvit me.“ Quinquagesimo secundo anno Moysis Jesus Bar-Nun in Aegypto natus est. Quumque Moyses annum octogesimum ageret, Deus cum eo in monte Sinai locutus est. Ascendit enim clamor filiorum Israel ad Deum propter duram servitutem Aegyptiorum. Audivitque Deus gemitus eorum et recordatus est testamenti sui ad patres Abraham et Isaac et Jacob, quibus promiserat, in semine eorum omnes populos benedictionem

<sup>82)</sup> בְּאַתָּרָן Ar. אלטרן, מיפא דטRNA (Bo-

accepturos esse. Quadam autem die, quum Moyses oves Je-  
thron, sacerdotis Madian, socii sui pasceret, oves ex deserto  
ad montem Horeb abierant, ad montem Dei. Apparuitque ei  
Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi; rubus autem  
non comburebatur. Dixitque Moses: Recedam et videbo hoc  
miraculum, quare ignis in rubo ardeat, rubus autem non com-  
buratur. Cernens autem Deus, quod pergeret ad videndum,  
vocavit eum de medio rubi et ait: Moyses! Moyses! Qui res-  
pondit: Ecce ego, Domine. Dixit ei: Ne appropies huc; locus  
enim, in quo stas, sanctus est. Dixitque ei Deus: Ego sum  
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Et abscondit Moy-  
ses faciem suam; verebatur enim, eum aspicere. Dicunt qui-  
dam: Quum Deus cum Moyse loqueretur, hunc p[ro]ae timore  
balbutisse. Dixitque ei Dominus: Vidi servitutem populi mei  
in Aegypto et vocem clamoris ejus audivi et veni, ut liberem  
eum de manibus Aegyptiorum et educam eos in terram lacte  
et melle fluentem. Veni, mittam te in Aegyptum. Dixit ei Moy-  
ses: Quis sum ego, Domine, ut vadam ad Pharaonem et filios  
Israel de Aegypto educam? Dicit ei Deus: Ego ero tecum.  
Dixitque Moyses Deo: Si dixerint mihi, quod est nomen Do-  
mini: quid dicam eis? — Dicit ei: Sum qui Sum, h. e. Ae-  
ternus, qui est Deus patrum vestrorum, me ad vos misit. Hoc  
est nomen meum in aeternum, et hoc est memoriale meum in  
generationes. Dicit Deus Moysi: Wade, dic Pharaoni omne,  
quod tibi dico. Dixit Moyses Deo: Lingua mea gravis et  
blaesa est: quomodo Pharao verbum meum accipiet? Dicit  
Deus Moysi: Ecce constitui te Deum Pharaonis et Aaron, fra-  
trem tuum, prophetam coram te. Loquere tu Aaron, et Aaron  
loquetur ad Pharaonem, et dimittet filios Israel, et servient  
mihi. Et ego indurabo cor Pharaonis et faciam signa in terra  
Aegypti et educam filios Israel de Aegypto, et scient Aegyptii,  
quia ego sum Dominus. Fecerunt autem Moyses et Aaron  
omnia, quae Deus illis praecepit. 83 annorum Moyses erat, cum  
Deus eum in Aegyptum mitteret. Dixitque Deus Moysi: Si  
petierit abs te signum, projice virgam tuam in terram, et fiet  
draco. Venerunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem et pro-  
jecerunt virgam Moysis, et facta est draco. Sed et Magi Ae-  
gyptiorum sicut ipse fecerunt; virga autem Moysis virgas Ma-  
gorum devoravit. Induratumque est cor Pharaonis, neque po-

pulum dimisit. Fecit igitur Deus decem signa per manus Moy-  
sis. Primum — commutatio aquae in sanguinem erat. Se-  
cundum — ascensus ranarum ad eos. Tertium — plaga mus-  
carum <sup>83)</sup>. Quartum — sciniphas omni genere. Quintum —  
mors animalium. Sextum — plaga ulcerum. Septimum — ad-  
ventus grandinis. Octavum — productio locustae. Nonum —  
descensus tenebrarum. Decimum — mors primogenitorum.  
Quumque Deus primogenitos Aegypti interimere vellet, ait:  
Haec dies sit vobis principium mensis, i. e. Nisan, et initium  
anni. Decimo die mensis hujus tollat unusquisque vir agnum  
per familias et domos suas; sin autem minores sunt numero,  
sociaabit se vicino suo, proximo domui sua. Et servabitur ag-  
nus usque ad quartamdecimam diem mensis hujus, immolabunt-  
que eum omnes filii Israel occasu solis spargentque sanguinem  
ejus ad limina domorum suarum in forma crucis. Eritque san-  
guis hic vobis (in) signum redēptionis, et gaudebo et laetabor  
in vobis, nec dominabitur in vos mors permicosa. — Dixerunt-  
que Moyses et Aaron haec omnia filiis Israel; et praecepit eis  
Dominus, ne de domibus suis egredierentur usque mane.  
Transibit enim Dominus ad Aegyptios percutiens primogenitos  
eorum; cumque viderit sanguinem in superliminari, non sinet  
percussorem ingredi domos vestras. Media autem nocte occi-  
dit Dominus omne primogenitum Aegypti, a primogenito Pha-  
raonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad ultimum. Misitque  
Pharao ad Moysen et Aaron dixitque eis: Exite de filiis po-  
puli mei, et abite et servite Domino sicut dixistis, et assumite  
vobiscum possessiones vestras et opes. Urgebant autem Ae-  
gyptii filios Israel, ut exirent de medio ipsorum, p̄ae timore  
mortis. Et petierunt filii Israel ab Aegyptiis ornamenta (vasa)  
aurea et argentea vestesque pretiosas et spoliaverunt eos. Do-  
minus enim dedit eis gratiam in oculis Aegyptiorum. Profec-  
tique sunt filii Israel de Ramesses in Socoθ sexcenta millia  
virorum; ingredientes in Aegyptum diebus Joseph 75 animae  
fuerunt. Manserant autem in servitute corporali et spiritali  
430 annos — ex illa die, qua Deus Abrahæ dixerat: Semen  
tuum incola erit in terra Aegypti. Ex illa hora servi facti  
erant in cogitationibus suis. Quum ergo populus de Aegypto

<sup>83)</sup> Ar. רְבִיב

sub conditione redeundi exiret, nec reverteretur, Pharaon eos persecutus est, ut eos in servitatem suam reduceret. Dixit populus Moysi: Cur eduxisti nos de Aegypto? Multo melius erat nobis, Aegyptiis servire, quam hic mori. Ait Moyses: Ne timeatis; sed videte redemtionem, quam Dominus hodie vobis fecit. Dicit Dominus Moysi: Tolle virgam tuam et percute mare, et transibunt filii Israel, sicut per aridam. Percussitque Moyses mare, et divisum est mare huc et illuc; et transierunt filii Israel in abyssu maris sicut per aridam. Quum vero Pharaon et exercitus ejus post eos ingrederentur, Moyses virgam suam super mare reduxit, et aquis in locum suum reversis omnes Aegyptii suffocati sunt. Dixitque Moyses filiis Israel ad laudandum hoc canticum: „Tunc cecinit Moyses et filii Israel“ cet<sup>84</sup>). — Profecti autem filii Israel tres dies in deserto, venerunt in locum, qui vocabatur Mara ob amaritudinem aquae; nec potuit populus de hac aqua bibere. Elevaverunt itaque vocem suam et murmuraverunt contra Moysen coram Deo, deditque eis lignum absynthii, quod natura amarum est. Immisit in aquam, et facta est dulcis. Tum Dominus eos praecepit et iudicia edocuit. Inde profecti migraverunt et in locum, ubi duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae erant, quindecimo mensis secundi, qui est Ijar, venerunt. Dadjesus in expositione Paradisi ait: ibi Jannem et Jambrem magos habitasse, qui olim Moysi sese opposuerunt. Erat autem ibi puteus et supra ipsum situla et catena aenea, daemonesque ibidem habitabant, quoniam locus ille Paradiso similis erat. Profectusque b. Macarius visitavit eum; non tamen habitare ibi potuit prae nequitia daemonum illorum. Sed ne iidem supra genus humanum gloriarentur, scil: quod nemo ibi habitare posset, duobus quibusdam<sup>85</sup>) lugentibus, quorum nomina nemo novit, praecepit Deus, ibique usque ad mortem commorati sunt. — Quum vero filii Israel desertum hoc viderent, murmuraverunt contra Moysen dicentes: melius nobis erat, satiatos pane in Aegypto mori, quam in tetram hanc solitudinem exire, ut populus hic fame periret. Dicit Deus Moysi: Ecce demittam vobis manna de coelo, et nubes per diem umbra vobis erit a calore solis, et columna ignis per noctem coram vobis lucebit.

<sup>84</sup>) Exod. XV, 1.

<sup>85</sup>) i. e. Anachoritis, אֲבִלָיִן

Dicit Deus Moysi: Ascende in hunc montem: Tu et Aaron frater tuus et Nadab et septuaginta senes electi de filiis Israel: — et adorabunt procul, et solus Moyses ad me adpropinquabit. Et fecerunt, sicut praecepit ipsis Dominus, et appropinquavit Moyses solus; reliqui senes autem infra ad radices montis manserunt. Mandavitque Dominus mandata sua et narravit Moyses populo verba Domini, et respondit omnis populus una voce et dixit: Omne, quod Dominus nobis mandavit, faciemus. Sumsit Moyses sanguinem cum hyssopo sparsitque super populum dicens: Hic est sanguis foederis, et reliquos versus. Dicit Deus Moysi: Loquere filii Israel, ut separent mihi<sup>85)</sup> partem auri et argenti et aeris et purpurae et reliquarum rerum, quae in Lege memorantur, et faciant mihi tabernaculum. (Et ostendit Deus Moysi constructionem tabernaculi.) Et Aaron et filii ejus sacerdotes erunt et tabernaculo meo ministrabunt. Et inscripsit decem versus duabus tabulis lapideis, nempe: Non facies tibi scuptile neque similitudinem. Non mentieris in juramentis tuis. Custodi diem Sabbati. Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non moechaberis. Non furaberis. Non loqueris falsum testimonium. Non concupisces domum fratris tui. Non concupisces uxorem proximi, seu vicini tui, aut servos ejus aut ancillas. — Quumque viderent filii Israel, quod Moyses in monte moraretur, congregati sunt ad Aaron dicentes: surge fac nobis Deum, qui nos praecedat; nescimus enim, quid fratri tuo Moysi acciderit. Dixit eis Aaron: Tollite inaurae de auribus mulierum vestrarum et filiorum. Quumque ad eum attulissent, vitulum ex eis fudit dixitque populo: Hic est Deus tuus, Israel! qui te ex Aegypto eduxit. Et aedificavit ei aram et obtulerunt filii Israel sacrificia super eam. Dixit Deus Moysi: Descende ad populum, quia<sup>86)</sup> corruptus est. Reversus est igitur Moyses ad populum manibus suis duas tabulas lapideas portans, quibus digitus Dei decem mandata inscriperat; vidensque populum, quod errasset, Moyses iratus tabulas ad montem projecit et confregit. Arripiensque Moyses vitulum lima eum contrivit et in ignem conjecit pulveremque in aquam sparsit praecipiens filii Israel, ut de hac aqua bi-

<sup>85)</sup> פָּרַשְׁנָא, spontanea separatio, sacrificium. Levit. 7, 16; Ps. 54,  
8. Ar. בְּשַׂת כְּתַח.

<sup>86)</sup> חֲלִכְוָא, perierunt.

berent. Et reprehendit Moyses Aaron de factis ejus. Respondit Aaron: Tu nosti, quod populus iste durae cervicis sit. — Dixitque Moyses filius Levi: Dominus vobis praecipit, ut vir fratrem suum et proximum occidat de iis, qui iniquitatem fecerunt. — Occisi sunt illa die tria millia virorum. Ascenditque Moyses altera vice in montem, duas tabulas lapideas pro iis, quas confrigerat, secum portans, et mansit in monte et jejunavit quadraginta dies, praeter primam vicem — orans et misericordiam a Deo petens, ut iniquitati populi parceret. Quumque de monte descendaret, alias duas tabulas, quibus mandata inscripta erant, secum portans, cutis faciei ejus splendida facta est, ita ut filii Israel in faciem ejus aspicere non possent prae splendore et lumine, quod super illam effusum erat. Timuerunt ab eo, et operuit faciem suam velamine; loquens autem cum Deo faciem suam revelabat. Dixitque Moyses Hur, filio Raniel, socero suo Madianitae: Ibimus in terram, quam promisit nobis Deus, daturum se nobis. Veni nobiscum, et bene faciemus tibi. Ipse autem noluit et in Madian reversus est. — Profecti sunt autem filii Israel in itinere, ut habitationem sibi pararent. Et extulerunt vocem suam cum clamore, et audivit Deus et iratus est. Circumdeditque eos ignis et devoravit circuitus castrorum eorum. Dixerunt Moysi: Ecce arida est anima nostra in deserto; recordamur enim ciborum Aegypti: piscium et cucumerum et peponum et ceparum et porrorum et allii. Nunc vero, ecce, nil nobis est praeter hoc manna, quod coram nobis est. Manna autem simile erat coriandro; contundebant illud et fecerunt tortulas ex eo. Sapor ejus sicut panis oleo cocti. Audivitque Deus vocem fletus populi; quisque enim ad ostia tentorii sui moestus erat. Oravit ergo Moyses coram Domino et dixit: Quare non invenio gratiam in oculis tuis, quod imposuisti super me onus hujus populi? Numquid ego eos genui? Aut occide me, aut inveniam gratiam in oculis tuis. Dixit Deus Moysi: Elige de semibus filiorum Israel 70 viros et congrega eos ad tabernaculum, et descendam et loquar tibi: ut auferam de spiritu et virtute, quae tecum est, et ponam super illos et sustentent tecum onus populi, neque tu graveris solus. Et narravit eis Moyses et congregavit 70 de filiis Israel; descenditque Dominus per nubem et locutus est cum eis, auferensque de spiritu et virtute, quae in Moyse erat, his impo-



suit, et prophetaverunt. Duo autem de 70, quorum nomina scripta sunt, in castris remanserant nec venerant. Nomen uni Eldad, et alteri Medad. Et prophetaverunt et ipsi in<sup>87)</sup> tabernaculo „temporaneo.“ Venit autem puer et nuntiavit Moysi. Dixitque ei Josue Bar-Nun, discipulus ejus: Domine, prohibe illos. At ille: Ne aemuleris, inquit. Utinam omnes filii Israel prophetae essent; Spiritus enim Dei eis supervenit. Dixit eis Moyses: Quia flesatis et carnem petiistis: ecce, dabit vobis dominus carnes ad edendum, non uno die aut decem, sed ad mensem dierum edetis, donec exeant per nares vestras vosque earum taedeat. Dicit Moyses: Populus hic, apud quem sum, sexcenta millia virorum habet, et tu promisisti: Cibabo eum carnibus mensem integrum? Si mactaremus ipsis oves et boves, eis minime sufficeret; et si pisces maris congregaremus, eos non satiarent. Dixit Deus: Manus Domini perficiet. Et ecce! videsne haec fieri, an non? Flavitque ventus jussu Dei et adduxit coturnices a mari et congregatae sunt circum castra filiorum Israel itinere unius diei a latere et coagulatae erant alia super aliam duos cubitos (in altitudinem), et collegerunt singuli eorum decem coros easque ante portas tabernaculorum suorum expanderunt. Iratus autem Dominus percussit eos morte, mortuique sunt multi, et appellatus est locus ille: „Sepulchra concupiscentiae.“ Migraverunt hinc in locum, qui vocatur Haseroth. Et superbiverunt Aaron et Mirjam contra Moysen propter uxorem ejus Aethiopissam, quam duxerat, et dixerunt: Numquid cum solo Moyse loquutus est Deus? Ecce, etiam nobiscum locutus est. Moyses autem mitior erat omnibus hominibus. Audiens autem Deus Dominus verba Mirjam et Aaron descendit in columna nubis et stetit ad portam tabernaculi temporarii. Vocavit Aaron et Mirjam, et prodierunt ad Eum. Dixit eis Dominus: Audite, quod loquor vobis. Ego in abscondito vobis apparui, et prophetasti in somno, et non sic servus meus Moyses, qui in omnibus fideliter se gessit<sup>88)</sup>; ore enim ad os loquor ei. Et iratus est iis Dominus, et recessit nubes de tabernaculo temporario. Et leprosa facta est Mirjam

<sup>87)</sup> „quia ejus ministerium completum erat in plenitudine temporis“, BB. ap. Castell. Lex.

<sup>88)</sup> Ar. אורה מן pro fidei habitus est.

et candens sicut nix, Quae dixit Moysi: Ne aspicias, quae es, peccata nostra, quae in te peccavimus. Deprecatusque est Moyses coram Deo et dixit: Obsecro, Domine! sana eam, Dixit Moysi Deus: Si pater ejus in faciem ejus spuisset, nonne debuerat saltem septem diebus sola extra castra manere et tunc reverti? Mansit ergo Maria septem dies extra castra et tunc mundata est. Dixit Deus Moysi: Dimitte speculatores singulos de singulis tribubus, qui eant et terram promissionis explorent. Elegit Moyses duodecim viros, de quibus Josue Bar-Nun et Caleb Bar-Jephone fuerunt. Abierunt itaque et exploraverunt terram et venerunt, portantes secum de frugibus terrae: uvas et ficos et malogranata. Venerunt ergo exploratores et dixerunt: Non est nobis virtus, ut stemus adversus eos; gigantes enim sunt, et nos in oculis eorum quasi locustae viles. Et congregati sunt filii Israel ad Moysen et Aaron vociferantes et vehementer flentes et dixerunt: Cur non mortui sumus sub manu Domini in deserto et in Aegypto; utinam non venissemus in terram hanc, ut moreremur nos et uxores nostrae et filii nostri et fieremus iudibrio et opprobrio gentibus. Dixerunt eis Josue Bar-Nun et Caleb Bar-Jephone: Ne timeatis; ascendamus ad eos tradetque Deus eos in manus nostras, et haereditabimus terram hanc, sicut dixit nobis Deus. Dixerunt alter ad alterum: Venite, constituamus nobis ducem et revertamur in Aegyptum. Cecideruntque Moyses et Aaron proni in terram coram Domino, et Josue Bar-Nun et Caleb Bar-Jephone sciderunt vestimenta sua et dixerunt filiis Israel: Terra, quam exploravimus, terra pinguis est, lacte et melle manans, et Domini est eam nobis dare. Ne offendatis Deum. — Cumque congregarentur filii Israel, ut eos lapidibus obruerent, apparuit Deus in nube supra tabernaculum temporarium coram filiis Israel et dixit Moysi: Usquequo irritabunt me isti et usquequo non credent mihi? in omnibus signis, quae inter ipsos feci? Sinite me, percutiam eos faciemque te principem populi fortioris, quam hic est. Dicit Moyses Domino: Domine Deus! audient Aegyptii et dicent, quod eduxisti populum tuum in virtute tua de medio ipsorum; si vere eos percusseris, dicent: Non potuit eis terram, quam eis promisit, dare; idcirco eos perdidit. Sed tu Domine! in hoc populo habitas, et viderunt te oculo ad oculum, et lumen tuum constitueris eum eis et in



columna luminis ambulas per noctem et obtegis eos nube per diem: parce nunc in misericordia tua peccatis populi tui, sicut peccatis eorum ab Aegyptum usque ad locum istum pepercisti. Dixitque Deus Moysi: Dic filii Israel: O popule male! omnia verba, quae locuti estis, audivi et ego faciam vobis sicut postulastis vobismetipsis. In solitudine cadavera vestra jacebunt et pubertas vestra et filii vestri omnes, qui sciunt bonum et malum a vigesimo anno et infra: sed filii eorum intrabunt terram promissionis. Vos vero non ingrediemini eam, praeter Caleb Bar-Jephone et Josue Bar-Nun. Filii vestri quadraginta annos in hoc deserto manebunt: donec cadavera vestra consummata sint juxta numerum dierum, quibus terram illam explorasti. Annus pro die propter peccata vestra imputabitur. Exploratores autem, qui terram cum Josue Bar-Nun et Caleb Bar-Jephone exploraverant, una hora praeter Josue et Caleb mortui sunt. Et displicuit populus sibi ipsi valde. Dixeruntque filii Israel Moysi: Ecce! ascendemus extemplo in terram, quam Deus nobis promisit. Dicit eis: Avertit Deus faciem suam a vobis; ne migretis a loco vestro. At illi non obediverunt Moysi, sed ascenderunt in verticem montis praeter Moy-sen et tabernaculum temporarium. Et occurserunt eis Amalectae et Chananaei, qui ibi habitabant, eosque fugaverunt. — Dixit Deus Moysi: Ingressi filii Israel terram promissionis offerent sacrificium: similam et oleum et vinum. Tunc Core Bar-Sohar et Dathan et Abiron filii Elith cum familiis suis se separaverunt cum 250 viris de filiis Israel et venerunt ad Moy-sen maledicentes ei et perterruerunt eum. Ceciditque Moyses pronus in faciem suam coram Domino et dixit: Mane sciet quisque, quem Deus elegerit. Nonne vobis sufficit, coram Domino ministrare, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis? Dixit Moyses Deo: Ne accipias, Deus! sacrificia eorum. Dixitque iis Moyses: Tollite singuli thuribula vestra manibus vestris et imponite ignem et incensa. Steterunt autem coram Domino illo die 250 viri, qui thuribula sumserunt. Dixit Dominus Moysi: Separamini a populo et perdam illos una hora. Ceciderunt Moyses et Aaron proni in facies suas et dixerunt Domino: Perdesne propter unum virum, qui peccavit, hos omnes? Dixit Deus Moysi: Dic filii Israel, ut recedant a tabernaculis Core et sociorum ejus. Et dixit Moyses populo omnia, quae dixit

ei Deus; et recessit populis a tentoriis Core. Et egressi sunt Core et familia ejus cum uxoribus suis et liberis et ceciderunt proni in facies in introitu tabernaculorum suorum. Dicit eis Moyses: Si Deus me misit, terra os suum aperiet eosque deglutiet; si vero mea sponte veni, morte naturali ut omnes homines morientur. Quumque adhuc verbum in ore ejus esset, aperta est terra devoravitque eos et omnia quae eis erant, ab hominibus usque ad pecora. Cecidit autem timor super socios eorum et exiit ignis de thuribulis eorum et combussit 250 viros. Dixit Moyses Eleazar: Tolle thuribula eorum et fac de iis conflationem ut in memoriam sint; sanctificata sunt enim igni quod cecidit in ea: ne quis audeat accipere thuribulum in manum suam, qui non est de familia Aaron. Et congregati sunt filii Israel ad Moysen et Aaron et dixerunt eis: Vos interfecistis populum Domini. Dicit Dominus Moysi et Aaron in tabernaculo temporario: Recede ab iis, et perdam eos una hora. Dixit Moyses Aaroni: Tolle thuribulum et impone ignem et incensa pergens ad populum, ut Deus peccatis eorum parcat; jam enim ira a Domino super eos egressa est. Posuitque Aaron incensa in thuribulo et abiens cito ad populum vidit mortem eos absque misericordia vastantem. Separavit ergo thuribulo inter vivos et mortuos, et plaga cessavit. Fuit autem numerus eorum, quos mors illa hora de filiis Israel perdidit, 14700 homines absque his, qui cum filiis Core perierant; et reversus est Aaron ad Moysen. Dixit Deus Moysi: Congregabunt filii Israel singulas virgas de omni tribu et nomen tribus virgae inscribent. Nomen autem Aaron in virga Levi erit, et illa, quam Dominus elegerit, virebit. Fecerunt igitur, sicut jussi sunt a Deo, et sumserunt virgas easque in tentorio temporario illo die posuerunt. Sequenti die ingressus Moyses tentorium temporarium vidit virgam domus Levi viridem<sup>89)</sup> et amygdalas<sup>90)</sup> portantem. Protulit ergo Moyses omnes virgas ad filios Israel et separati sunt filii Levi ad ministerium sacerdotii coram Domino. — Quumque filii Israel in desertum Sin venissent, Maria, soror Moyses et Aaron, mortua est, et sepelierunt eam. — Quia vero aqua iis deerat ad bibendum, murmuraverunt

<sup>89)</sup> מִזְבֵּחַ (Mizbechah) <sup>90)</sup> לְבָדֶן (Lebaden) id. Ar. amygdalum,

filii Israel contra Moysen et dixerunt: Utinam mortui essemus nos omnes cum his, qui jam pridem mortui sunt, neque hoc venissemus, ut periremus nos, et jumenta nostra et possessiones. Cur eduxit nos Dominus ex Aegypto in terram hanc aridam, in qua non sunt malogranata et uvae? Ingressique Moyses et Aaron in tabernaculum temporarium prociderunt in facies suas coram Domino. Dixitque eis Dominus: Congregate filios Israel, et percutiet Moyses petram virga, et egredientur aquae et bibet omnis populus. Vocavitque Moyses aquam hanc „aquam contradictionis.“ — Et congregati sunt filii Israel ad Moysen et Aaron et murmuraverunt contra eos dicentes: Cur eduxistis nos in desertum hoc, ut siti et fame moreremur? Iratus iis Dominus misit in eos serpentes, et multi de populo a serpentibus perierunt. Congregati sunt ergo ad Moysen et Aaron dieentes: Peccavimus coram Domino et coram te. Dixit Deus Moysi: Fac serpentem aeneum et suspende eum in capite lanceae et erige eum in medio populi: omnis, quem serpens mordit, aspiciens in serpentem aeneum vivet, nec morietur. Serpens autem hic, quem Moyses crucifixit, typus crucifixionis D. N. est, ut Doctor ait: Sicut serpentem Moyses crucifixit, sic et eum crucifixit, ut homines de morsibus daemonum crudelium sanaret. Venerunt filii Israel ad montem Horeb; ibi Aaron mortuus est, et luxerunt cum filii Israel triginta dies. Moyses autem vestimentis Aaron Eleazarum, filium ejus, induit et cooperunt filii Israel cum filiabus Moab fornicari et idola eorum adorare et de sacrificiis earum comedere. — Iratus est ergo iis Dominus et dixit Moysi: Congrega filios Israel et praecipe eis, ut unusquisque proximos suos occidat, qui adoraverunt Beel Phegor, idolum Moabitarum. Omnibus ergo ante portam tabernaculi temporarii congregatis, Zambri filius Salu tulit Cozbi filiam Sur et fornicatus est cum ea in conspectu omnis populi. Et percussit Deus populum plaga. Surgens autem Phinees, filius Eleazari sacerdotis, filii Aaron, perfodit eos lancea et elevavit eos in capite lanceae. Cessavit plaga ex illa hora, et imputatus est Phinees hic zelus pro oratione, sicut b. David ait: „Stetit Phinees et oravit et cessavit plaga et imputatum est ei in justificationem in generationem et generationem usque in sempiternum.“ Erat numerus mortuorum illa hora viginti quatuor millia virorum. Praecepit-

que Deus Moysi, ut populum numeraret; et ascendit numerus eorum ad 601,780 animas. Dixit Deus Moysi, ut benediceret Josue Bar-Nun eique manum suam imponeret et statueret eum coram Eleazaro sacerdote et coram omnibus filiis Israel. Deditque ei Deus scientiam et sapientiam et animositatem fecitque eum gubernatorem (judicem) filiis Israel. Praecepit autem Deus filiis Israel, ut Madianitas interficerent, et elegit milenos viros de omnibus tribubus, et ascenderunt et ceperunt eos et spoliaverunt. Dixit Deus eis, ut omnem virum, qui cum Madianite fornicatus esset, interficerent et omnem Madianitidem fornicatam cum viro Israelita — praeter virgines, quas vir nondum cognovisset. Dixit Deus Moysi: Separabunt de praeda captivorum quinquagesimam partem Levitis, ministris domus Domini. Erat numerus ovium, quae apud filios Israel congregatae erant, 670 millia; 72 millia boum; 32 millia virginum. Praecepitque eis Deus ut Jordanem transgressi in terra promissionis tria oppida in refugium et praesidium ei, qui invidus quemquam occidisset, separarent, ut in ea fugeret ibique habitaret, donec sacerdos magnus moreretur, qui tempore illo extitisset, et tunc reverteretur ad tribum suam et ad domum patrum suorum. Imposuitque eis leges et praecepta: Non induetur vir vestibus feminineis, nec mulier vestimentis virilibus. Si quis nidum volueris viderit, matrem liberam dimittet et tunc pullos teneat. Tecto suo sepem et murum quisque faciat: ne quis ex eo decidat et anima ejus ab illo exigatur. Si quis filium contumacem et protervum habuerit, eum ad seniores ducet et accusabit, si forte a consuetudine sua convertatur: sin autem conversus non fuerit, lapidetur. — Non manebit appensus per noctem in patibulo. Qui blasphemaverit Deum, occidetur. Si dormierit vir cum muliere desponsata in agro, ipse solus interficiatur; si autem non fuerit desponsata, patri ejus quinque talenta argenti dabit eamque uxorem ducet. Et reliqua praecepta. Congregavitque Moyses omnes filios Israel dixitque eis: Eece ego centum viginti annorum, nec mansit in me virtus. Dixitque ei Deus: Non transibis flu men hoc Jordanis. Vocavit ergo Josue Bar-Nun et dixit ei coram omni populo suo: Confortare et esto robustus; tu enim populum istum in terram promissionis introduces. Ne timeas populos, qui in ea sunt; Deus enim tradet eos in manus tuas

et haereditabis civitates et vicos eorum eosque devastabis. Scripsit autem Moyses leges et praecepta et tradidit filiis Levi, sacerdotibus, et praecepit eis: ut in terram promissionis transgressi solemnitatem tabernaculorum agerent, et coram omni populo, viris et mulieribus, legerent et audirent et timerent Dominum Deum suum. Dixitque Deus Moysi: Ecce, tu ambulabis viam patrum tuorum. Voca Josue Bar-Nun et statue eum in tabernaculo temporario et praecipe ei, ut gubernando hoc populo studeat; scio enim, eum post mortem tuam a via veritatis declinaturum et idola adoraturum esse; et faciem meam ab eis avertam. — Dixit Deus Moysi: Ascende in montem hunc Amorrhæorum, qui vocatur Nebo, et vide terram Chanaan et congregare ad patres tuos, sicut et Aaron frater tuus in monte Horeb mortuus est. Mortuusque est ibi Moyses et inhumatus; nemo autem sepulchrum ejus novit. Timuit enim Deus, ne filii Israel aberrarent et eum ut Deum colerent. Mortuus est 120 annos natus, visu ejus non deficiente neque decore faciei mutato. Fleverunt eum filii Israel triginta dies in <sup>91)</sup> campestribus Moab. — Ab Adamo ergo usque ad mortem Moysis 3068 anni. Quumque omnis populus filiorum Israel numeraretur, numerus eorum ad 800,000 ascendit; Tribus Juda 500,000. In libro „Berjamen“ <sup>92)</sup> vero filii Israel 100,100 fuisse dicuntur, de tribu Juda 400,700 viri duecentes gladium; quum de Aegypto exirent, 600,000 fuerant. Septuaginta quinque animae in Aegyptum ingressae erant.

### Caput 31. De Josue, filio Nun, breviterque de annis Judicium et Regum filiorum Israel.

Moyse mortuo dixit Deus Josue filio Nun: Moyses, servus meus, mortuus est: surge ergo et transi Jordanem istum — tu et omnis populus — in terram, quam patribus eorum me daturum esse promisi. Omnis locus, quem attigeritis, vobis erit. — Congregavit itaque Josue filius Nun omnem populum, et transgressi sunt Jordanem. Jordanis divisus est hic et

<sup>91)</sup> Textus Syr. et Ar. cum Versione Ss. Script. Syr. „Arbot M.“ Deut. 34, 1, 8. Versio. Arab. V. T. „desertum s. regio M.“

<sup>92)</sup> I. Par. 21, 5.

illuc, et transierunt filii Israel sicut per aridam, quemadmodum patres eorum mare rubrum transgressi sunt, quum de Aegypto exirent, et tulerunt duodecim lapides de medio Jordanis in memoriam posteriorum. Expugnaverunt Jericho eamque deliverunt. Occidit autem Josue Bar-Nun reges populorum alienorum et sculpturas et simulacra eorum confregit. Haec nomina regum, quos Josue Bar-Nun percussit: 1. Regem Jericho. 2. Regem Haj. 3. Regem Jerusalem. 4. R. Hebron. 5. R. Jerimoth. 6. R. Lahis. 7. R. Eglon. 8. R. Gazer. 9. R. Dabir. 10. R. Herma. 11. R. Gader. 12. R. Adar. 13. R. Lebna. 14. R. Arlam. 15. R. Mokar. 16. R. Bethel. 17. R. Taphna. 18. R. Opher. 19. R. Aphec. 20. R. Saron. 21. R. Madon. 22. R. Asor. 23. R. Semeron. 24. R. Achsaph. 25. R. Thenac. 26. R. Magdol. 27. R. Darkem. 28. R. Machom. 29. R. Dor et Naphtidor. 30. R. Humca. 31. R. Thersa. Sed quia nobis non proposuimus, omnes historias Regum et Judicum describere, sed historias breviter tantum colligimus, quae ad consolationem infirmorum tempore taedii (languoris) utiles sunt, eas breviter praeterimus. Si quis vero illas scire desiderat, in Lege et Judicibus legat; inde eas pellucide intelliget. — Moyses populum in deserto 40 annos gubernabat. Josue Bar-Nun gubernabat populum 25 a. Iud a judicabat populum 48 a. Eglon rex Moab populum 18 a. opprimebat. O h u r i judex 80 a. Jabin Israel 20 a. opprimebat. Debora et Barac iudices populi 40 a. M a d i a n i t a e Israel 7 a. subegerunt. Gedeon iudex populi 40 a. Fueruntque ei 70 filii, qui 70 pullis cum eo vebantur. Abimelech, filius Gedeon, iudex populi per 60 a. Thola filius Phua iudex populi 22 a. Philistaei et Ammonitae populum 18 a. subigebant. Jeph te iudex populi 6 a. Votum vovit: omne, quod mihi e domo mea occurrerit, Domino in sacrificium offeram. Occurrit ei filia ejus unica, eamque in sacrificium Deo obtulit. Abesan iudex populi 7 a. Erant ei 30 filii et totidem filiae, quas emittens foras maritis dedit et ejusdem numeri filii suis accepit uxores introducens in domum suam. A h i a l o n iudex populi 10 a. Abd on iudex populi 8 a. Philistaei Israel 40 a. subigebant. Samson iudex populi 20 a. Maxilla asini mortui 1000 viros interfecit. Heli populum 40 a. gubernavit. Ex diebus Heli arca 20 a. in domi Abinadab erat. Samuel 30 a. gubernavit. Saul 40

a. populum regnavit. Sunt hi anni *Judicium* 655. *David* 40 a. regnavit. *Salomon* 40 a. regnavit. *Roboam* 17 a. regnavit. *Abias* 3 a. regnavit. *Asa* 41 a. regnavit. *Josaphat* 25 a. regnavit. *Joram* 8 a. regnavit. *Ochozias* 1 a. regnavit. *Athalia* 6 a. regnavit. *Joas* 40 a. regnavit. *Amasias* 23 a. regnavit. *Ozias* 52 a. regnavit. *Joatham* 16 a. regnavit. *Ezechias* 29 a. regnavit. Oravit coram Domino, et additi sunt vitae ejus 15 anni: prohibuitque solum et lunam, quominus irent. *Manasses* 55 a. regnavit. Idem Esajam serra lignea dissecut et interfecit. *Josias* 31 a. regnavit. *Joachaz* 3 menses regnavit. *Joacim* 11 a. regnavit. *Joachin* 100 dies regnavit. *Sedecias* 11 a. regnavit. Suntque anni hi regum 455, sex menses, decem dies.

**Caput 32. De morte Prophetarum; quo quisque modo mortuus et sepultus sit.**

*Isaias*. *Manasses*, *Ezechiae* filius, serra lignea eum interfecit. Depositus ante canalem, quem *Ezechias* ad ripam Siloa fudit. — *Osee*, filius *Beeri*, de tribu *Issachar*, de vico *Beel-muth*. In mysterio de D. N. J. Chr. venturo prophetavit: Quando natus erit, quercus illa, quae in Silo est, in duodecim partes dividetur. Et gubernabit duodecim<sup>93)</sup> ex Israel. Mortuus est in pace et in regione sua sepultus. *Joël* filius *Phathuel*, de tribu *Ruben*. Mortuus est hic in pace in terra sua. Secundum alium *Ochozias*, filius *Amasiae*, virga caput ejus percussit; quumque adhuc viveret, eum in terram projecerunt, et post duos dies mortuus est. A mos de regione *Thecue*. Cruciatum sacerdos de *Bethel* et tunc occidit. Juxta alium hic est, quem *Ochozias* filius *Amasiae* virga sua percussit et occidit. *Abdias*, de terra *Sichem*, princeps erat de quinquaginta, qui *Achab* serviebant. Fuit discipulus *Eliae* et multa ab *Achab* sustinuit; deleriquerat enim illum et post *Eliam* abierat. Mortuus est in pace. Ex quo *Eliae* adhaerebat, prophetia dignatus est. — *Elias* igneus ex familia *Aaron* de *Thesbe*, vico *Levitarum*. Quum nasceretur, pater ejus somnium vidit, nasciturum esse hominem et pro pannis igne eum circumdari; darie ei de hoc igne, ut

<sup>93)</sup> Ar. יְאָכֵר תִּנְעַשֶּׂר תְּלִימִיד et accipiet duodecim discipulos.

comedat. Venitque pater ejus Jerusalem et sacerdotibus visionem, quam viderat, narravit. Dixerunt ei nobiles populi: Ne timeas; ignis — filius tuus erit; verbum ejus non cadet super terram, et inflammabit peccatores zelo suo sicut ignis, et zelus ejus acceptus erit coram Domino. — Assumptus est curru in coelum. Secundum quosdam pater ejus Schobach nominatus est. — Eliae eus, ejusdem discipulus, de Mahul-Ebil e tribu Ruben. Die illo, quo natus est, magnum miraculum in Israel factum est. Taurus enim ille, qui in Galgala erat quemque adorabant, clamavit, et vox ejus Jerosalymis audita est. Dixeruntque Sacerdotes Magni, qui in Jerusolem erant: Propheta magnus hoc tempore natus est; ipse simulacra et sculpturas confringet. Mortuus in pace in Samaria sepultus est. — Jonas filius Matthei de Gadaphor e vico Adamos, qui prope ad Ascalon et Gazam et littus maris est. Qui quum Ninivitis tempore regis Sardana prophetasset, in terra sua non remansit, quia Judaei ei invidebant, sed cum matre sua abiit et in Athur habitavit. Timebat enim invidiam Judaeorum, quia prophetaverat, et prophetia ejus non stetit<sup>94)</sup>. Accusavit autem Ahab regem et famem super terram vocavit. Venit ad viduam Eliae eique benedixit, quia ipsum suscepserat, et iterum in terram Juda reversus est. Mater ejus itinere defuncta est; sepelivit eam apud sepulcrum Debborae et habitavit in terra Sarid<sup>95)</sup>. Secundo anno postquam populus de Babel migravit, mortuus et in spelunca Cainan sepultus est. Prophetavit: Christo veniente urbes Judaeorum destruendas esse. — Michael Mo-rastites e tribu Ephraim. Joram, filius Ahab, eum occidit. Prophetavit hic de excidio templi Judaeorum et cessatione Paschae per mortem Christi. Mortuus est in pace<sup>96)</sup>. — Nahum, de vico Elcosch, de tribu Simeon. Hic post obitum Jonae de Ninivitis prophetavit: Aquis alternantibus et igne ascidente Niniveh peritrum esse; quod verbum ejus revera evenit. Et de Babylonii prophetavit: eos populo superventuros esse; propter quod eum interficere voluerunt. Hic prophetavit: Christi

<sup>94)</sup> Ar. וְלֹم תִּהְבֹּת נְכֹותה non est stabilita (eventu probata) prophetia ejus.

<sup>95)</sup> Syr. et Ar. שָׁרֵךְ

<sup>96)</sup> Ar. add. וְדַעْ בְּאַנְקָם

morte faciem portae templi in duas partes scissum iri et Spiritum sanctum ex eo migraturum esse. Mortuus in pace in regione sua sepultus est. — Habacuc e tribu Simeon de terra Zoar. Hic prophetavit de Christo: Eo veniente legem Judaeorum cessaturam esse. Ipse cibum Danieli dispositione divina Babel deportavit. Judaei eum Jerosolymis lapidaverunt. — Sophonias de tribu Simeon. De Christo passuro prophetavit: Solem tenebris obrutum, lunam opertum iri. Mortuus est in pace in patria sua. — Haggaeus juvenis Babel Hierosolymam migravit. Prophetavit de Christo: Finem faciet sacrificiis Judaeorum. Mortuus est in pace. — Zacharias filius Jojadae de Babel in senectute sua reversus signa in populo fecit. Mortuus est in summa senectute et juxta sepulchrum Haggaei sepultus. — Malachias post redditum populi natus est. Propter pulchritudinem suam Angelus nominabatur. In terra sua in pace mortuus est. — Jeremias, filius Heliae. Judaei eum in Aegypto lapidarunt; accusaverat enim eos, quod idola adorarent. Aegyptii eum prope palatium Pharaonis sepelierunt. Amabant enim eum valde: quia orabat, et animalia, quae de Nilo ascendebant et homines devorabant, moriebantur. Haec animalia <sup>97)</sup> crocodili nominabantur. Quumque Alexander Philippi Macedonis filius, veniret, sepulchrum ejus exquisivit eumque secum Alexandriam tulit. Hic vivus Aegyptiis dixerat: Puer, h. e. Christus, de Virgine nascetur et in praesepio ponetur et idola commovebit et destruet. Ex illo tempore usque ad nativitatem Christi Aegyptii virginem et infantem in praesepio erigebant illumque adorabant: quia eis dixerat „In praesepio ponetur.“ — Ezechiel filius Buzi e tribu sacerdotum de terra Sarid. Princeps Judaeorum, qui in terra Chaldaeorum erat, eum interfecit: quia ipsum de adoratione idolorum accusaverat. In sepulchro Arphaxad, filii Sem, filii Noë, sepultus est. — Daniel de tribu Juda, in Beth-Huran superiori natus est. — Fuit vir a mulieribus se continens; quamobrem Judaei eunuchum eum existimabant; facies enim ejus absque barba <sup>98)</sup> erat, filiosque non habebat. Oravit pro Babyloniis. Mortuus

<sup>97)</sup> In text. Ar. קורקלירוא — pro usitata ab Arabibus voce תמסאח

<sup>98)</sup> Ar. מותגרא, מושניא

est Aelam, in urbe Huzitarum, et in castro Susae sepultus. De reditu populi prophetavit. Athias de Silo. Hunc prophetam leo necavit. Juxta quercum, quae in Silo Samariae est, sepultus est. Esdras scriba de terra Sabtha,<sup>29)</sup> e tribu Juda. Hic populum reduxit. In patria sua in pace sepultus est. — Zacharias, filius Barachiae, sacerdos Hierosolymitanus. Joas rex eum inter gradus altaris interfecit et sanguinem ejus ad cornua alteris sparsit. Sacerdotes eum deposuerunt. Ex hoc die Deus templum dereliquit, neque Angeli amplius in eo visi sunt. — Simeon filius Sira in pace in vico suo defunctus est. — Nathan in pace mortuus est.

Explicit pars prima libri Spicilegii, qui „Apis“ inscribitur.  
DEO autem laus, et super nos misericordia ejus et gratia!  
Amen.

In virtute divina sribimus et secundam partem libri spicilegii, qui invocatur Apis: de dispensatione divina, quae in N. T. facta est.

### Caput 33. De genealogia Christi.

Deus creavit Adam. Adam genuit Seth. Seth genuit Enos. Enos genuit Cainan. Cainan genuit Malaleel. Malaleel genuit Jared. Jared genuit Henoch. Henoch genuit Mathusale. Mathusale genuit Lamech. Lamech genuit Noë. Noë genuit Sem. Sem genuit Arphaxad. Arphaxad genuit Cainan. Cainan genuit Sale. Sale genuit Heber. Heber genuit Phaleg. Phaleg genuit Ragau. Ragau genuit Sarug. Sarug genuit Nachor. Nachor genuit Thare. Thare genuit Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac genuit Jacob. Jacob genuit Judam. Judas Cananaeam, Sūē nomine, uxorem duxit, quo facto Jacob magno dolore affecit. Dixitque Judae: Deus patrum non sinat permisceri semen Canaan cum semine nostro, nec genus ejus cum nostro genere. Nati sunt autem Judae tres filii: Her, Onan et Sela. Her Thamar, filiam Merari, filiam Levi, uxorem duxit et concubuit cum ea sodomitice et mortuus est absque filiis. Acceptit eam Onan, frater ejus, ut fratri suo semen suscitaret. Hic quoque dormiens cum ea semen suum extra eam in terram fundebat et mortuus est absque liberis. Sela vero adhuc adolescens erat; Judas ergo nurum suam in viduitate custodiebat, ut daret eam qui semen suscitaret ex ea. Thamar autem cum socero suo per insidias coivit et dolum: concubuit cum eo et concepit et peperit filios geminos: Phares et Zaram de Thamar. Phares genuit Esron. Esron genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naason. Eleazar, filius Aaron, sacerdos sororem Naason uxorem duxit genuitque ex ea Phinees. Et permixtum est semen sacerdotale cum regio. Naason genuit Salmon. Salmon genuit Booz de Rahab. Booz genuit Obed ex Ruth Moabitide. Obed genuit Jesse. Jesse genuit David Regem. — Duae vero genealogiae traduntur a b. David ad Christum: altera scilicet a Salomone ad Jacob, altera a Nathan ad Heli: David genuit Salomonem. Salomon genuit Roboam. Ro-

boam genuit Abiam. Abias genuit Asa. Asa genuit Josaphat. Josaphat genuit Joram. Joram genuit Achaz. Achaz genuit Ezechiam. Ezechias genuit Manassem. Manasses genuit Amon. Amon genuit Josiam. Josias genuit Jechoniam. Jechonias genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Abiud. Abiut genuit Eliacim. Eliacim genuit Azor. Azor genuit Sadoc. Sadoc genuit Achin. Achin genuit Eliud. Eliud genuit Eleazar. Eleazar genuit Mathan. Mathan genuit Jacob. Jacob genuit Joseph. — Et iterum: David genuit Nathan. Nathan genuit Mathatha. Mathatha genuit Menna. Menna genuit Melea. Melea genuit Eliacim. Eliacim genuit Jona. Jona genuit Joseph. Joseph genuit Simeon. Simeon genuit Levi. Levi genuit Mathat. Mathat genuit Joram. Joram genuit Eliezer. Eliezer genuit Jesu. Jesu genuit Her. Her genuit Elmadam. Elmadam genuit Cosan. Cosan genuit Addi. Addi genuit Melchi. Melchi genuit Neri. Neri genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Resa. Resa genuit Joannam. Joanna genuit Judam. Juda genuit Joseph. Joseph genuit Semei. Semei genuit Mathathiam. Mathathias genuit Mathath. Mathath genuit Nagge. Nagge genuit Hesli. Hesli genuit Nahum. Nahum genuit Amos. Amos genuit Mathathiam. Mathathias genuit Joseph. Joseph genuit Janne. Janne genuit Melchi. Melchi genuit Levi. Levi genuit Mathat. Mathat genuit Heli. Heli genuit Joseph. — Et scito, o frater noster! Mathan filium Eleazari de linea Salomonis genealogiam suam deducere. Duxit uxorem, cui nomen Estha, genuitque ex ea Jacob naturaliter. Mortuus est autem Mathan, et accepit uxorem ejus Melchi, qui de linea Nathan, filii David, genus suum deduxit. Genuit ex ea Eli, qui est Heli. Fuerunt ergo Jacob et Heli fratres a parte matris. Eli uxorem duxit, et mortuus est absque filiis; deinde Jacob viduam ejus uxorem duxit, ut juxta mandatum Legis fratri suo semen suscittaret. Genuit ex ea Joseph, qui est filius Jacob naturalis, et filius Heli ex lege. Sive naturaliter volumus sive legaliter: Christus filius David invenitur. Hoc quoque scire expedit, Eleazar duos filios genuisse, Mathan et Jotham. Mathan genuit Jacob et Jacob genuit Joseph. Jotham autem genuit Sadoc et Sadoc genuit Mariam. Sieque patet, patrem Joseph et patrem Mariae consobrinos<sup>100)</sup> fuisse.

<sup>100)</sup> Ar. עמו לאלאר

**Caput 34. De annuntiatione Angeli ad Jonachir de Maria.**

Hie Sadoc, qui <sup>101)</sup> et Jonachir appellabatur, et Dina, uxor ejus, justi erant coram Deo. Divitiis quidem saecularibus et possessionibus et opibus abundabant; sed fructus et progenies ex more hominum iis non erat probrisque a populo propter sterilitatem suam afficiebantur, nec eos sacrificium offerre permettebant, nisi post omnes, quia filios non habebant in populo Israel. Exiit autem Jonachir in desertum tetenditque tentorium suum extra diversorum et oravit Dominum cum lacrymis et gemitibus, indumentis tristitiae indutus; similiter et Dina, uxor ejus. Exaudivitque Deus orationes eorum et suscepit sacrificia lacrymarum. Veniens enim Angelus Domini ad eos annuntiavit eis conceptionem Mariae dicens: Oratio vestra exaudita est coram Deo. Et ecce! dabit vobis Deus fructum benedictionis — filiam: ut in signum et miraculum sit omnibus generationibus saeculorum. Omnes generationes benedictionem ab ea accipient — Laudaverunt autem ambo Deum, et Sadoc in domicilium suum reversus est. Et concepit Dina, uxor ejus, et peperit Mariam atque ex illa die pro Dina appellata est Anna, eo „quod misertus est“ ejus Dominus. Nomen Mariae vero interpretatur „elata et sublimis“. Et gavisi sunt de ea valde. Sexto ab ejus ortu mense parentes ejus ad invicem dixerunt: Ne sinamus eam in terra ambulare; et portaverunt eam eum victimis et oblationibus in templum Domini et immolaverunt Domino boves et oves. Obtulerunt autem Mariam principi sacerdotum, qui manum imponens capiti ejus ei benedixit dicens: Benedicta sis in mulieribus. Biennio peracto ablactata est, portaveruntque eam in templum, sicut Domino voverant, et principi sacerdotum tradiderunt. Imponensque manum benedixit ei et jussit eam matronis tradi, quae ibi erant. Educabatur itaque cum virginibus in templo Domini et ministrabat domui laeto corde et divino ferrore usque ad duodecimum aetatis suae annum <sup>102)</sup>. Quia vero pulchra aspectu erat, sacerdotes et princeps sacerdotum consulebant et coram Deo orabant, ut sibi, quid de ea

<sup>101)</sup> Vera ecclesiae traditio parentes B. M. V. Joachim et Annam nominat.

<sup>102)</sup> Idem narratur in Historia Josephi fabri lignarii cap. 3. ed. J. C. Thilo p. I. in Cod. Apocr. N. T.

facerent, revelaret. Apparuitque principi sacerdotum Angelus Dei dicens: Colligit virgas virorum viduorum timore Dei et probitate insignium, et quodecumque indicaverit tibi Deus, hoc facies. Attulerunt autem multas virgas et posuerunt eas in templo die ac nocte coram Domino orantes. Ingressusque princeps sacerdotum templum, singulis eorum virgas suas dedit et quem manu sua virginem Josephi teneret, exiit ab ea columba alba et advolans ad caput virginis sedebat in ea. Accessit autem princeps sacerdotum ad Joseph et osculans caput ejus dixit ei: Puella haec pars tua a Domino facta est. Accipe eam usque dum venerit ad aetatem, faciesque nuptias et convivium secundum consuetudinem hominum; magis enim tibi, quam aliis, convenit, cum consobrini sitis. Dixit Joseph principi sacerdotum: Ego senex sum, haec autem puella est nec convenit conditioni senectutis meae; decet me, eam tali dare, qui ei aetate aequalis est, quia non confido mihi ipsi, ut eam custodire et protegere valeam. Dicit ei princeps sacerdotum: Cave, ne mandatum divinum transgrediaris et tibi sententiam judicii inferas. Recepit itaque Joseph Mariam in habitationem suam. Post dies autem sacerdotes varias tinturas fasciolarum distribuerunt ad nendum vela sanctuarii, et accidit sors Mariae, ut purpuram neret. Quumque in templo esset orans et incensum poneret coram Domino, apparuit ei repente Archangelus Gabriel in figura viri plene adulti<sup>103</sup>, flavitque ab eo odor suavis, et perterrita est Maria visu Angeli.

**Caput 35. De annuntiatione Gabrielis ad Mariam  
de conceptu D. N.**

Die dominica, 25.o mensis Adar hora nona (vel juxta  
alias Calendis Nisan) anno 340.o Alexandri, filii \*Philippi,  
sesto mense post conceptionem Elisabeth — apparuit Mariae  
Archangelus Gabriel et dixit ei: Ave, gratia plena! Dominus  
Noster tecum; benedicta tu in mulieribus! — Quae quum vi-  
disset, turbata est in sermone ejus et cogitabat, qualis esset  
ista salutatio. Ait ei Angelus: Ne timeas, Maria! Invenisti enim  
gratiā apud Deum. Ecce enim concipies in utero et paries

**בָּהֵל** Ar. **רְבָלָן** **שְׁנִיא** (103)

filium et vocabis nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur: „Nobiscum Deus noster.“ Hie erit magnus et filius Altissimi vocabitur. Dixit Maria ad Angelum: Ecce, Ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum! — Et discessit Angelus ab ea. — Surgens autem Maria in diebus illis abiit ad Elisabeth, cognatam suam. Et intravit ad eam et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit Elisabeth salutationem Mariae, exultavit infans in utero ejus et adoravit Joannes in utero Elisabeth D. N. in utero Mariae tanquam servus Dominum suum. Mansit autem Maria apud Elisabeth quasi tribus mensibus et reversa est in domum suam. Post sex menses vidit Joseph Mariam, quod concepisset, et perturbatus est in mente sua. Dixitque: Quod responsum dabo principi sacerdotum in hac tentatione, quae mihi accedit? Confisus enim erat castitati sponsae suae. Ceciditque in angustiam et dubietatem et dixit ei: Unde tibi hoc est? Quis te decepit, columba sincera? Nonne cum virginibus castis et matronis modestis in templo Dei educata es? — Flevitque lacrymis et: Vivit Dominus Deus meus, inquit; non novi virum unquam, nec consuetudo viri mihi fuit. Sed de Angelo et de causa graviditatis sua nihil revelavit. Et deliberavit Joseph apud semetipsum et ait: Si indico hoc facinus coram hominibus: timeo, ne a Deo sit; si vero callide absconde: timeo accusationem et sententiam judicii Moysis. Judaei enim non appropinquabant uxoribus suis, donec convivium sacerdotibus parassent; et tunc „accipiebant“ conjuges suas. Cogitavitque Joseph occulte dimittere eam. Quae quum in corde suo cogitaret, Angelus Domini ei in somno apparuit: Joseph, fili David! noli timere accipere Mariam conjugem tuam: qui enim in ea natus est, de Spiritu Sancto est. Bene autem dixit: „in ea“, non „ex ea“. Audiverunt autem sacerdotes de conceptu Mariae et adversus Joseph accusationem statuerunt, ac si fraus apud eum inventa esset. Dixit autem Joseph: Vivit Dominus! Nescio causam conceptus ejus, et Maria ipsa hoc tempore. Erat autem mos Judaeorum, ut si quis accusatione aliqua accusabatur, aqua<sup>104)</sup> probationis eum potarent. Si mundus erat, non laedebatur; si vero reus erat, inflato ventre corpus ejus intumescebat, et apparebat in eo signum mira-

---

<sup>104)</sup> alias „a. Zelotypiae“.

culi. Quum vero Mariam et Joseph de aqua probationis portarent absque noxa, princeps sacerdotum Josepho mandavit, ut eam studiose custodiret, donec finem hujus rei viderent.

### Caput 36. De Nativitate D. N. in carne.

Anno ante annuntiationem D. N. Imperator Romanorum in provinciam Palaestinae Cyrinum judicem misit, qui omnes censu describeret. Judaei quidem sub imperio Romanorum erant. Quumque omnes in propria civitate describerentur, et Joseph faber lignarius ascendit, ut in sua civitate describeretur et diligenter Beatae consilens, eam asino vehentem secum duxit. Cum tria milia migrassent, vidit eam manum suam ventri imponentem faciemque ejus austere contractam<sup>105)</sup>, putavitque, eam jumento molestari. Interrogavit eam itaque de dolore suo et angustia. Dixit ei: Festinanter expande mihi stratum, ut descendam; apprehenderunt me enim dolores. Quum eam de jumento detulisset et abiret, ut ei obstetricem adduceret, mulierem Hebraeam, cui nomen Salome, invenit. Hæretici autem Hadiocham eam appellatam fuisse contendentes a veritate erraverunt. Joseph ergo cum in specum venisset, eam luce vehementi<sup>106)</sup> impletam reperit, et infantem fasciis et pannis involutum in praesepio positum. Erant autem ibi pastores greges suos custodientes. Et ecce! Angelus Domini venit ad eos, et claritas Dei circumfulsit eos, et timuerunt timore magno valde. Dicit eis Angelus: Nolite timere. Ecce enim annuntio vobis gaudium magnum, quod universo mundo erit. Natus est enim vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, et hoc vobis signum: Invenietis infantem fasciis involutum et in praesepio positum. Et subito apparuerunt cum Angelo multae virtutes coelestes, laudantes Deum et dicentes: Gloria Deo in excelsis, et super terram pax et spes bona hominibus! Abeuntes autem pastores intraverunt speluncam et viderunt, sicut dixerat iis Angelus. Nomina autem pastorum haec sunt: Aser. Zabulon. Justus. Nicodemus. Joseph. Barsabas. Joses — septem numero.

<sup>105)</sup> קְמִיטָן, Ar. מתאבם

<sup>106)</sup> סַאֲטֵל, Ar. diffusus.

**Caput 37. Prophetia Zarodostae de D. N.**

Hic Zaradost Baruch scriba erat. Quum ad fontem aquarum Galuscha-Hurim, loco isto, ubi balneum regium exstructum erat, habitaret, discipulis suis Gusnasapho Regi et Sasano et Mahaimado dixit: Audite, filii mei dilecti! quod vobis de mysterio magni Regis revelabo, qui in plenitudine temporis et in dissipatione finali in mundo nascetur. Concipietur infans in utero virginis et in membris ejus formabitur, viro ei non appropinquare. Similis erit arbori, cuius ramus pulcher, portanti fructum et stanti in terra sitiente; contendent habitatores regionis, ut eam eradicent, at non valebunt. Tunc eum apprehendent et in ligno suspendent et sedebit coelum et terra lugens super eum. Lugebunt eum familiae gentium, et incipiet descendere in profunda terrae et de profundo ad alta elevabitur. Tunc cum exercitibus luminis veniet et invehens nubibus albis; infans enim ille conceptus erit (in) Verbo naturas creante. Dixit ei Gusnasaph: Hujus, de quo loqueris, unde virtus? Utrum tu major illo es? An ille major te est? — Dicit ei Zaradost: De familia mea descendet: Ego ipse — et ipse ego; ille in me et ego in ipso. Si initium adventus ejus veniet, signa magna in coelo adparebunt. Lumen ejus lumen solis superabit. Vos vero filii, semen vitae, quod exiit de repositorio vitae et luminis et spiritus et seminatum est in regione ignis et aquae: vos decet, custodire et cavere his, quae dixi vobis, et expectare promissionem ejus. Vos enim primi sentietis adventum regis hujus magni, quem vinci expectant, ut solvantur. Et nunc, filii mei! sacramentum hoc, quod vobis revelavi, custodite! Cum stella, de qua vobis locutus sum, orta fuerit, nuntii a vobis dimittentur munera portantes eumque adorabunt<sup>107)</sup>. Videte et cavete, neve spernatis eum, ne gladio vos perdat; rex enim regum ipse est et omnes reges coronam ab ipso accipiunt. Ego et ipse unus sumus. Quae ab altero hoc Bileam dicta sunt, Deus pro more suo impulit, ut ipse interpretaretur. Populo qui prophetia confidebat ortus, de Christo D. N. haec praedixit.

**Caput 38. De stella, quae apparuit die Nativitatis.**

Secundum quosdam stella haec unacum nativitate D. N.

<sup>107)</sup> In eundem modum de hoc Zaradost s. Zoroastro agit Gregorius Barh. in hist Dynastiarum l. 5.

a Magis visa est. Illud vero „Herodes jussit occidi pueros a bimatu et infra“ — non sic accipiendum est, ac si tota hac longitudine temporis ad iter perficiendum opus fuisse; sed mora aliqua iis fuit in patria aut in itinere. Nec simulac Magis occurrit, statim Herodes pueros occidi jussit, sed multum temporis interdum praeteriit, dum exspectant se ab iis certiores fieri. Sanctus vero Mar Joannes Chrysostomus commentario in Matthaeum ait, stellam longe ante apparuisse. Quia enim in magnam longitudinem iter eorum protenderetur, sub finem ejus diem nativitatis comperisse. Conveniebat enim ei adoratio et haec quidem fasciis involuto, ut cognosceretur et magnificaretur signum. Propterea apparuit eis stella multo tempore ante. Si enim eodem tempore, quo in Palaestina natus est, in Oriente eis apparuisset, nequaquam eum in fasciis videre potuissent. Quod vero Herodes pueros a bimatu et infra occidit, ne mireris; ira enim et pavor eum compulerunt, ut cautelam multiplicaret. Propter quod longius, quam oportebat, tempus addidit. — Quoad naturam stellae vero, utrum stella natura sua fuerit — an visu tantum, scire expedit, nequaquam ex reliquis stellis fuisse, sed virtutem absconditam. Visu quippe sic apparuit. Dum omnes stellae et sol et luna ab Oriente ad Occidentem iter suum perficiunt, haec (tamen) a Septentrione Meridiem versus iter suum faciebat. Sic enim Palaestina ad Persidem sita est. Neque nocte tantum videbatur, sed etiam diu et meridie; et eo tempore, quo Sol lucebat, tanto clarius apparebat<sup>108)</sup>, quod non est stellarum. Luna enim lumine suo omnibus stellis antecellit, sed splendore solis statim operitur, et lumen ejus dispersetur. At haec stella fortitudine luminis sui vel radios solis vincebat, et quum apparens tum obscurata semper usque in Palaestinam Magos ducebat. Quum Jerosolymis appropinquarent, obscurata est; quum autem ab Herode discentes iter suum prosequi inciperent, apparuit seseque ostendit, quem motum stellae minime habent; sed virtus naturarum ratione praeditarum est. Iter etenim certum non habebat: sed ambulantibus Magis et ipsa ambulabat; stantibus illis stabat et ipsa — instar columnae nubis, quae sistebat tempore congruo et ambulare

<sup>108)</sup> Ar. נָרְאָה שְׁמַעְנָה וְאַתָּם כִּי יְהוָה וְפִי אלְשֹׁמֶשׁ אֲכֹהֶל et in tigris or (cum) sole radii (ejus) majores et validiores videbantur.

faciebat exercitum Israel. Haec vero stella non semper in excelso manebat, sed mox ad infra descendebat moxque sursum elevabatur; suo autem tempore, ut Evangelista narrat, super caput pueri stetit.

**Caput 39. De Magorum ex Perside adventu<sup>109)</sup>.**

Quum Jesus Bethlehem Juda natus esset et stella ejus Magis in Oriente appareret, 12 reges persici sumis muneribus — auro, thure, myrrha — ad eum adorandum venerunt. Haec eorum nomina: Zarvandal, filius Artabani. Hormisdas, filius Santruki. Gusjasaph, filius Gunaphari. Arsaces, filius Miruchi. Quatuor isti aurum portaverunt. — Zarvandades, filius Varzudi. Jirihu, filius Cosroae. Artaxestes, filius Hulaithi. Estunabu, filius Sisron. Quatuor isti myrrham tulerunt. — Maruchus, filius Chuam. Asuerus, filius Azban. Sardalachus, filius Baalsani. Merodach, filius Beli. Quatuor isti thus attulerunt. — Quidam aiunt: Munera illa, quae Magi attulerunt et Domino Nostro obtulerunt, ab Adamo in spelunca thesaurorum reposita fuisse. Adamum vero Seth praecepisse, ut ea ab uno ad alterum transferenda curaret, donec D. N. nascetur; haec eos attulisse ipsique donasse — quod ab Ecclesia receptum non est. — Quum autem Jerosolymam venissent, universa civitas perturbata est. Audiens autem Herodes rex perterritus est et congregans principes sacerdotum et scribas populi de loco, ubi Christum nasci oporteret, sciscitatus est. Illi vero indicaverunt ei: In Bethlehem Juda; sic enim per prophetam scriptum est. Herodes ergo vocatis Magis blandiens<sup>110)</sup> mandavit, ut diligenter de puer interrogarent et, si eum invenissent, sibi indicarent ut et ipse abiret eumque adoraret. Cum autem Magi ab Herode discessissent et iter pergerent, stella ista iterum orta est duxitque eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Et intrantes cavernam viderunt puerum cum Maria matre ejus statimque procidentes adoraverunt eum. Apertisque thesauris suis obtulerunt ei munera: aurum — imperio ejus; myrrham —

<sup>109)</sup> Quae hic S al. de duodenario Magorum numero, eorum nominibus et. scribit, et apud alias Syrorum haereticorum auctores extant, ut Assem. in h. l. monet.

<sup>110)</sup> Syr. et Ar. שׁבָשׁ

quasi ad sepulturam ejus; thus — ejus Deitati. Et revelatione in somno accepta, ne redirent ad Herodem, alia via in regionem suam reversi sunt. Alii dicunt, Magos de fasciis D. N. secum tulisse in benedictionem. — Scripsit Longinus sapiens ad Augustum Caesarem in haec verba: Venerunt Magi, filii Persarum, tuumque imperium ingressi puero cuidam in Iudea nato munera obtulerunt. Quis vero sit aut cuius filius, nobis incompertum. Scripsitque Augustus Caesar ad Longinum: Sapienter egisti, quod hoc nobis indicasti nec nos celasti. Scripsit et ad Herodem poscens, ut sibi historiam pueri narraret. — Herodes autem, quum de puero serutaretur videret que se a Magis illusum, iratus misit et occidit omnes pueros Bethlehem et omnium finium ejus a bimatu et infra secundum tempus, quod a Magis scrutatus erat. Numerus autem puerorum, quos occidit, 2000 aut juxta alios 1800. Quumque Joannes, filius Zachariae, peteretur, tulit eum pater ejus et obtulit eum ante altare imponensque illi manum sacerdotium ei tradidit et emisit eum in desertum. Joanne non invento, ipse inter gradus et altare occiditur<sup>111)</sup>. Secundum quosdam sanguis Zachariae, ex quo occisus est, fluebat usque dum Titus, Vespasiani filius, veniret et de Jerusalem 300 myriadas occideret<sup>112)</sup>. Tunc demum fluxus sanguinis cessavit. — Nathanielem quoque puerum pater ejus tulit involutumque sub ficu posuit, et sic a nece liberatus est. Propter quod D. N. Nathanieli dixit: „Priusquam Philippus te vocaret, cum essem sub ficu, vidi te.“

#### Caput 40. De descensu D. N. in Aegyptum<sup>113)</sup>.

Magis in regionem suam reversis apparuit Angelus Domini in somno Joseph dicens: Surge et accipe<sup>114)</sup> puerum et matrem ejus et fuge in Aegyptum et esto ibi, usque dum dicam tibi! — Joseph autem surgens accepit puerum et matrem ejus

<sup>111)</sup> „Communis Syrorum sententia.“ Assem. — cf. etiam em. Card. Baronii Ann. ad a. Christi 1. num. 54 et.

<sup>112)</sup> Similia refert S. Hier. comm. in Matth. 23.

<sup>113)</sup> Quae hic a Sal. dicuntur, maximam partem ex apocrypho Infantiae Christi Evangelio mutuatus est; cf. et Sozom. Hist. 1. 5. ep. 21. Niceph. 1. 10. ep. 31.

<sup>114)</sup> Syr. רְבָר, Ar. حَرْ

nocte et fugit in Aegyptum usque ad mortem Herodis. Quumque in itinere Aegyptiaco proficierentur: occurserunt iis duo latrones: unus nomine Titus et alter Dumachus. Dumachus autem voluit eos laedere et male tractare; Titus eum prohibuit eosque de manu gladii ejus liberavit. Cum ad portam civitatis — nomine Hermopolis — venirent, erant ad parastadas portae duae statuae aeneae, a sapientibus et philosophis constructae, quae instar hominum loquebantur. Dominus Noster et mater ejus et Joseph cum in Aegyptum ingredierentur, in hanc quippe civitatem, hae imagines alta voce clamaverunt: Rex magnus in Aegyptum intravit. Quo auditio rex Aegypti turbatus et perterritus est. Timuit enim, ne sibi regnum adimeretur. Imperavit ergo, ut per totam urbem praecones ambularent: „Si eum quis noverit, sine mora nobis indicabit.“ Cum autem studiosissime quaesivissent nec eum invenissent, jussit rex, omnes urbis incolas foras ire et singulos intrare. Quumque ergo D. N. intraret, hae imagines clamaverunt: Hic est rex. Quem ita manifestatum Pharao perdere voluit. Erat autem ibi Lazarus, quem a mortuis suscitavit, unus de ministris regis et vir potens apud Dominum Aegypti. Accedens ergo ad Joseph interrogavit eum, unde esset. Audiensque, quod de Palaestina essent, doluit super eos et veniens ad regem vadem puero se exhibuit dixitque regi: Rex, vivas in aeternum! Quod si fraus in hoc puero invenietur, ecce ego coram te: fac mihi secundum beneplacitum tuum. Haecque Lazari et Christi amicitia. — Quadam die, cum Maria fascias D. N. lavaret, aquam sordidam in locum quandam effudit, et creverunt ibi arbores Aphurma i. e. balsami. Arbor hujus speciei alibi non reperitur, nisi hoc loco Aegypti. Huic unguento proprietates sunt: Si quis in eo ferrum intingit et igni affert, sicut candela lucet. Quodsi in aquam conjicitur, cadit ad infra; et si de eo in dorsum manus hominis stillatur, ad alteram partem penetrat. Mansit autem D. N. duos annos in Aegypto usque ad malam mortem Herodis. Mortuus est autem hoc modo: Primum uxorem suam et filiam interfecit. Et de quaque familia unum hominem occidit dicens: Hora illa, qua moriar, erit in tota urbe luctus et fletus et gemitus. Intumuerunt in visceribus et pedibus ejus ulceræ humida, ex quibus sanies fluebat atque in vermes vertebar. Novem uxores et tredecim filii ei fuere. Imperavit-

que Salome sorori suae et marito ejus: Scio, inquit, magnam festivitatem Judaeis fore die mortis meae. Cum ergo cum tristibus et lugentibus congregati erunt, occidite eos, ne mihi superstites sint. — Erat autem in manu ejus culter, quo poma edebat; et prae vehementia doloris cultrum hunc collo suo admovit illudque manu sua praecidit. Fissus est<sup>115)</sup> venter ejus et mortuus est et abiit in perditionem. — Herode, qui pueros occiderat, mortuo, Herodes Archelaus ejusdem filius regnavit, qui caput Joannis amputavit. Et apparuit Angelus Domini Josepho in Aegypto et dixit ei: Surge, accipe puerum et matrem ejus et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri. Et accipiens Joseph puerum et matrem ejus venit in Galilaeam et habitabant in civitate Nazareth, ut adimpleretur verbum prophetiae: „Nazaraeus vocabitur.“ Anno decimo regni Archelai regnum Judaeorum in quatuor partes divisum est: Ituraeam et Trachonitidem; et Lysaniae pars erat — Abilene, et quarta pars Herodi juniori. Amabat autem (Herodes) uxorem Philippi fratris sui. —

#### Caput 41. De Joanne Baptista et baptismo D. N.

Joannes triginta annos cum feris in deserto adolescebat, quibus completis e deserto ad habitationem hominum venit. Ex illo die, quo eum pater adhuc puerum in desertum eduxerat, usque dum veniret, iisdem vestimentis aestate et hieme indutus erat neque modum continentiae suae mutabat. Praedicavit autem in deserto Judaeae dicens: Poenitentiam agite, prope est regnum Dei, baptizans eos baptismō poenitentiae in remissionem peccatorum. Et dixit: Veniet post me fortior me, cuius non sum dignus calceamentorum corrigias solvere. Ego quidem baptizo vos aqua in poenitentiam; ille vero, qui post me venturus est, fortior me est; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. Hoc quidem praedixit, quod in discipulis perficiendum erat, qui in linguis igneis Spiritum s. acceperunt locum baptismi implentem, qua de gratia omnes in Christo baptizandi accepturi erant. Venit autem Jesus in Jordanis flumen, ut ab

<sup>115)</sup> אהפרית, Ar. אנסחת

illo baptizaretur. Joannes autem eum prohibuit dicens: Ego a te debo baptizari, et tu ad me venisti! Dixit ei Jesus: Sic deceat (nos) adimplere verba prophetiae. Jesus autem baptizatus confessim ascendit de aqua videntque coelos apertos et Spiritum sicut columbam super se descendentem. Et vox de coelo dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hae die revelata est Trinitas in Patre, qui clamavit; in Filio, qui baptizatus est, et in Spiritu s., qui sub corporali specie columbae descendit. Vocem quidem, quae de coelo audita est: „Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui; Ipsum audite“ omnes audierunt; visionem autem Spiritus Joannes tantum, qui intellectualiter aspiceret, dignus habitus est. Dies, quo baptizatus est, feria IV.a fuit; dies vero Nativitatis ejus feria V.ta. Joannem autem, quia accusaverat Herodem: „Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui“, idem Herodes apprehendit et in carcerem, cui nomen Machrunta, conjectit. Die celebri, quum Herodes die natali convivium principibus suis parasset, filia Herodiadis venit et coram discubentibus saltavit et plauit in oculis Herodis et principum ejus, dixitque ei: Pete a me omne, quodcumque vis, et dabo tibi. Et juravit ei, omne, quod postularet, daturum se ei usque ad dimidium regni sui. Illa vero ad Herodiadem matrem suam intravit et: Quid, inquit, petam ab eo? — Respondit: Caput Joannis Baptistae. Misera enim putabat, si Joannes occisus esset, se et filiam suam a reprehensore liberatum iri, fierique sibi locum, concupiscentias suas adimplendi; Herodes quippe cum matre et una cum ejusdem filia fornicabatur. — Venit ergo ad regem et dixit ei: Da mihi nunc in disco caput Joannis Baptistae. Ostendit rex dolorem ac si neci Sancti minime acquiesceret. At per repugnantiam et obligationem juramentorum coactus est, ut caput Joannis praecideret. Nunc ergo, o miser Herodes! utinam poposcisset a te dimidium regni tui, ut adversum te in throno sederet, et utinam divisisses cum ea: fecisses ei neque mentitus fuisses juramentis tuis, o dolose! — Et praecepit speculatori, et amputavit caput Beati et positum in disco attulit deditque puellae; puella autem dedit matri suae. Exiitque ut saltaret in glacie, quae aperta est sub ea, ita ut aquis usque ad collum immergeretur et a nemine posset salvare. Attulerunt igitur gladium, quo Joannes decollatus erat, et amputaverunt

caput ejus atque matri ejus Herodiadi attulerunt. Quae quum caput filiae suaet Sancti vidisset, coeca facta est, et manus ejus dextera, quae caput Joannis apprehenderat, aruit sicut et lingua ejus, quae illum blasphemaverat ingresso in eam Satana; et vincta est catenis. — Quidam dicunt, filiam Herodiadis Buziam nominatam fuisse: alii autem, et ipsam Herodiadem appellatam esse. Joanne interfecto venerunt ejus discipuli et tulerunt corpus ejus et in sepulcro deposuerunt; et venientes numtiaverunt Jesu. Duo autem discipuli, quos Joannes ad Jesum miserat, quique ei dixerunt „Tu es, qui venturus est, an alium expectamus“, Stephanus martyr et diaconus, et Ananias, qui Paulum baptizavit, fuere. Mel autem silvestre et locustas, quibus in deserto vescebatur, quidam manna fuisse dixerunt, cibum illum filiorum Israel, de quo et Henoch et Elias in Paradiso comedunt; simile est enim sapor ejus melli. Moyses autem illud Coriandro comparat, quo et<sup>116)</sup> „Lugentes“ in montibus vescuntur. Alii dicunt, radicem pastinaceae<sup>117)</sup> esse vocarique Camuz, dulci sapore, sicut mel (et favum). Alii denique, revera locustas de illis fuisse, quae in mundo sunt; favum autem mellis ab illis apibus parvis liquari, et inveniri parvas albasque plantas in deserto<sup>118)</sup>.

#### Caput 42. De jejunio D. N. et lucta ejus cum satana.

Altero die post baptismum suum octo animas de discipulis suis elegit, et tertia die in urbe Cana aquam in vinum convertit. Post discessum suum e deserto numerum duodenarium complevit — juxta numerum tribuum filiorum Israel et numerum mensium. Elegitque post duodecim discipulos septuaginta duos (alios) juxta numerum seniorum, qui 72 erant. Aqua in vinum conversa exiit in desertum et jejunavit 40 dies et 40 noctes. Juxta quosdam D. N. et satanas (hos) 40 dies inter se pugnabant; secundum alios tres luctae eadem die evenerunt. — Postquam autem virtute Deitatis suae satanam vicit et nobis

<sup>116)</sup> v. s.

<sup>117)</sup> Ar. et Syr. אַסְטָפְלִין

<sup>118)</sup> Ar. אלְתִיָּה „desertum illud, quod interjacet mare Erythraeum, Terram Sanctam, Palaestinam et Aegyptum“. Freyt.

eum vincendi potestatem dedit, coepit populis praedicare et fecit signa: Aegrotos sanabat, leprosos mundabat, daemones ejecit, coecis (oculos) aperuit, claudis dedit gressum, paralyticos erexit, surdis auditum reddidit mutisque locutionem linguae. Satiavit quinque panibus quinque millia, et 12 cophini supererant; et de septem panibus et duobus piscibus quatuor millia (praeter mulieres et parvulos) satiavit, et 7 sportae erant reliquae. Quidam enim scriptores dicunt 4000 viros et mulieres et infantes — D. N. satiasse de quinque panibus. Ambulavit super mare sicut in arida: imperavit mari, cum perturbaretur et cessavit perturbatio. Quatuor mortuos resuscitavit: Filiam Jairi, filium viduae, puerum Centurionis, et Lazarum quadri-duum, amicum suum. Legi veteri Moysis se subjecit, ne praeceptis divinis adversari videretur. Quumque tempus venisset, quo mortem pateretur, ut nos morte sua vivificaret et peccatum in carne sua mortificaret et prophetias de semetipso adimpleret, antea Pascha legitimum fecit; vetus solvit et deinde novae Legi fundamentum suo Paschate posuit.

#### Caput 43. De Paschate D. N.

Quum tempus Paschatis venisset, D. N. duos de discipulis suis misit dicens: Ite ad quendam (quem non noverunt<sup>119)</sup>). Dicit eis: Introeuntibus vobis in civitatem occurret (vobis) homo quidam amphoram aquae portans. Hunc sequimini; et ubi intraverit, dicite domino domus: Magister noster dicit: Ubi est divisorium, ut Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis coenaculum grande stratum et paratum: ibi nobis parate. Frequenter enim illo tempore turbae hominum Jerosolymam conveniebant ad festum Paschatis celebrandum; ita ut omnes domus Jerosolymitarum a multitudine magna, quae conveniebat, completerentur. Quamobrem D. N. virtute Deitatis suae effecit, ut paterfamilias coenaculum magnum pararet, non sentiens, cui illud praepararet; sed cogitabat, aliquem magnum de nobilibus principibusve Judaeorum ad se venturum esse et decere, domum illi omnibus rebus praeditam

<sup>119)</sup> Ar. „et non intellexerunt.“

conservare. — Ii enim, qui de aliis locis Jerosolymam adven-  
tabant, ab incolis civitatis in domos recipiebantur; res quoque  
illis ad usum scilicet festi Paschalis necessarias hi exhibebant.  
Sic ergo et ille homo paterfamilias coenaculum omnibus necessariis  
instruxerat neminiisque, ut intraret, permittebat. Virtute etenim  
D. N. prohibebatur; nam quia res mysteriosa ibi perficienda  
erat, non conveniebat, ut aliis praesentibus sacramentum ab-  
sconditum perficeretur. — S. Basilius ait: „Vespere passionis  
sumto a discipulis corpore et sanguine Domini, infudisse ipsum  
aquam in pelvem pedesque discipulorum suorum lavasse; hoc  
Apostolis in baptismum factam esse. Sed non omnes perfectos  
esse, cum non omnes mundi fuissent; filium enim perditionis  
Iudam non fuisse sanctificatum. Hydriam enim hanc effusam  
revera baptismum factum esse — secundum verbum D. N.  
ad Simonem Petrum: Si non te lavero, non habebis partem  
mecum; h. e. si te non baptizavero, non poteris intrare in  
regnum coelorum. Omnem quidem, qui non fuerit a Sacerdo-  
tibus baptizatus neque sumserit corpus et sanguinem D. N.,  
non intrare in regnum coelorum.“ — Et Mar Dadjesus in ex-  
positione Abbatis Isaiae\*) dicit: „Quum lavasset D. N. in Pa-  
schate pedes Iudee, genua ejus osculatum esse et plantas pedum  
linteo, quo lumbos suos praecinxisset, sicut vilem servum ab-  
sterrisse. Omnia enim, quae D. N. fecerit, ad nostram erudi-  
tionem fecisse.“ — S. Basilius in „quaestionibus“ suis permittit,  
ut oleo vescantur Christiani vinumque bibant et jejunium suum  
hoc vespere solvant, quo V. T. impletum, N. apertum est, quo  
Populo sanctitate exuto Gentes sanctificate et expiate sunt.  
Sed etsi hic Sanctus id permiserit reliqui tamen Patres minime  
concedunt sicut et nec Nos nec filii (asseclae) confessionis  
nostrae.

#### Caput 44. De passione D. N.

Tribus annis tribusque mensibus post baptismum tradidit  
Judas Bar-Simeon Iscariotes Dominum suum. Vocabatur autem  
Iscariotes a nomine civitatis suae. Locus ejus inter discipulos,

<sup>120)</sup> Cl. c. a. Chr. 580. Hic liber in Synodo Goensi a. 1599 dam-  
natus. V. Ass. s. h. v.

antequam D. N. traderet, sexto gradu erat. Crucifixus est D. N. hora tertia, feria VI.a, nono Nisan. Caiphas autem, qui D. N. condemnavit, Josippus est et suo nomine, quod gerebat, Abjesus vocabatur. — Nomen militis, qui D. N. lancea transfixit, in faciem ejus exspuit eique alapam dedit, — Longinus: idem, qui 38 annos in lectum aegritudinis conjectus erat, et quem D. N. sanaverat dicens: „Ecce sanus (factus es)! Noli iterum peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Custodes sepulchri quinque fuerunt, et haec eorum nomina: Issachar, Gar, Mathias, Barnabas, Simeon. Alii ferunt, quindecim fuisse: tres centuriones servosque eorum Romanos et Judaeos. — De lapide illo, qui super sepulchrum D. N. positus erat, quidam tradiderunt, ipsum petram fuisse, qui filiis Israel aquam in deserto manabat. — Sepulchrum, in quo D. N. positus est, Josue Bar-Nun paramatum erat et dispositione divina caute usque ad sepulturam D. N. custodiebatur. — Purpura, qua D. N. ei illudentes induerunt, a regibus Graecis Machabaeis donata erat. Hi vero eam sacerdotibus in ornatum templi tradiderant. Accipientes eam sacerdotes attulerunt Pilato testificantes et dicentes: Ecce! purpuram sibi regni appetens paravit. Vestimenta, quae milites in quatuor partes divisorunt, passibilitatem corporis ejus innuunt; tunica vero, quae inconsutilis de supra erat nec scissa est, sacramentum Deitatis, quae passionem non recepit, indicat. — Sanguis et aqua, quae de latere ejus exierunt, quaeve Joannes Zebedaei videre dignatus est, fluxus ille vivificans est de fonte vitae. — S. Joannes Chrysostomus ait: „Quum milites latus ejus lancea operuissent, statim aquam et sanguinem exiisse. — Aquam typum baptismi esse et sanguinem — Sacramenti(um) Sanguinis pretiosi; prius enim baptisma esse et deinde calicem redemptionis (dari).“ In Evangelio scriptum est, exiisse sanguinem et aquam. Quod ad lignum attinet, quo Salvator noster affixus fuit, ferunt, super vectes illos, quibus arca foederis portabatur, crucifixum esse. Alii dicunt: super lignum arboris, super quod Abraham arietem pro Isaac in sacrificium obtulerit; manus autem ligno fici affixas fuisse, de qua Adam comederit, — cuius memoriam in historia virguae Mosis tradidimus. — 30 argentei, quos Judas accepit iisque Dominum suum vendidit, 30 zusae ponderis sacri sunt et sexcentos regionis nostrae aequant. Hos nummos Thara Abrahae filio suo

fecerat. Abraham dedit illos Isaac. Isaac vicum iis emit. Dominus vici illos Pharaoni tradidit. Pharao misit eos Salomoni, filio David, pro aedificatione templi. Salomon tulit hos nummos iisque portam altaris circumdedit. Quumque Nabuchodonosor veniret et filios Israel captivaret, intrans in templum Salomonis vidit illos siclos, quod pulchri essent, eosque una cum captivis filiis Israel Babylonem secum attulit. Erant ibi obsides Persarum; quumque Nabuchodonosor Jerosolymis rediret, miserunt ei omne idoneum regibus et principibus. — Qui, quum a Persis dona sibi et munera mitterentur, filios eorum dimisit eisque dona dedit, et hos quoque siclos, quos patribus suis attulerunt. Cum Christus nasceretur, et stellam ejus (Magi) vidissent, tulerunt illos et aurum et thus et myrrham et profecti venerunt Edessam, ubi reges hi juxta viam pernoctaverunt. Surgentes reliquerunt eos nec senserunt, aliquid de suo remansisse. Venerunt autem mercatores et inventos tulerunt atque ad fontem aquarum prope Edessam abierunt. — Eodem die venit Angelus ad pastores et dedit iis tunicam desuper inconsutilem dicens: Sumite hanc tunicam, cui vita hominum inest. Accipientes ergo pastores tunicam venerunt ad fontem, apud quem mercatores illi erant iisque dixerunt: Est nobis tunica desuper inconsutilis. Vultisne eam emere? — Dixerunt mercatores: Afferte eam huc. Videntes autem eam mercatores mirati sunt et aiunt pastoribus: Habemus 30 nummos, regibus idoneos; hos accipite et date nobis tunicam. — Sumta ergo tunica mercatores in urbem Edessam intraverunt. — Misit rex Abgar ab eos dicens: Estne vobis aliquid regibus conveniens, quod emam a vobis? Mercatores dixerunt ei: Tunicam habemus desuper inconsutilem. Quumque rex tunicam vidisset, dixit eis: Unde tunica haec vobis? — Dicunt ei: Venimus ad fontem apud portam civitatis tuae vidimusque eam penes pastores, quam 30 siclus imaginibus argenteis praeditis emimus. Sicli quoque illi regibus convenientiunt. Misit rex ad pastores et siclos a pastoribus accepit, quos una cum tunica Christo misit ob beneficium ab eo acceptum; sanaverat enim morbum ejus. Christus autem quum tunicam et nummos vidisset, illam quidem sibi retinuit, siclos vero misit in gazophylacium Judaeorum. Deinde cum Judas Iscariotes ad Sacerdotes veniret eisque diceret: „Quid mihi dabitis, et tradam eum“ —, sacerdotes sur-

gentes tulerunt hos siclos eosque Judae Iscariotae dederunt. Quum vero poenitens eos Judaeis reddidisset et abiens se suffocasset, sacerdotes eos sumserunt iisque agrum emerunt prope sepulchrum peregrinorum. — De Josepho Senatore — cur ita nominatus sit? Bouleutes (Senator) genus (tribus) est in terra Romanorum valde nobile. Si enim accidebat, ut nemo de familia Imperatorum inveniretur, ex hoc genere Imperatorem constituebant; et si quis ex iis stulte egit, fasciis albis lana confectis equum ejus pro eo trahebant. Hic vero Josephus Senator genere (suo) non erat, sed emit (hanc dignitatem) scribique se fecit in senatu Romanorum et vocatus est Senator. — Commendatio Mariae ad Joannem Zebedaei per D. N. — Dicit ei: Mulier, ecce! filius tuus. — Et Joanni dicit: Ecce! Mater (tua). Et ex illa hora eam in sua duxit eique ministravit. — Vixit autem post Ascensionem D. N. duodecim annos. Secundum alios autem summa annorum ejus, quos in mundo vixit, 58 aut juxta alios 61 anni. Non est sepulta, sed Angeli eam in Paradisum portaverunt funus ejus cum pompa celebrantes. Venerunt autem die obitus ejus Apostoli omnes presque super eam fuderunt, et benedictionem ab eadem accipere. Thomas vero, quum in Jndia esset, ab Angelo apprehensus et adductus, Angelos vidit lectulum ejus in aëre circumferentes; quo ad ipsum demisso oravit et ipse, benedictionemque ab eadem accepit. — Nomen autem feriae sextae usque in illam diem non erat cognitum; sed dies illa dies sexta tantum appellabatur. Sed postquam sol obscuratus est et cura divina de populo Israëlitico defecit, tunc dies illa „Erubta“ — Parasceve appellata est. — Scriptura autem, quae scripta positaque erat super caput ejus, — Graece et Ebraice et Romane scripta erat; non enim Aramaeis communicatio sanguinis Christi erat, sed Graecis et Ebraeis et Romanis. Herodes — Graecus; Caiphas — Ebraeus erat; Pilatus — Romanus. — Quum ergo Abgar<sup>121)</sup> rex Aramaeo-Mesopotamiensis audisset, minitatus est Ebraeis voluitque eos perdere.

#### Caput 45. De resurrectione D. N.

Cum historia passionis et resurrectionis D. N. in Evangelio

<sup>121)</sup> Cf. Cureton, Ancient Syr. docum. infr. cit. p. 16. ct.

commemoretur, memoria ejus repetitione non indiget. D. N. postquam a mortuis resurrexit, decies apparuit: I. Mariae Magdalena — Joa. II. Duabus mulieribus in sepulchro — Matth. III. Cleophae et socio ejus — Luc. Socius autem Cleophae, cum quo Emmaus pergebat, Lucas Evangelista fuit. IV. Simoni Petro — Luc. V. Vesperi Dominicae Apostolis praeter Thomam — per portas clausas intrans — Luc. et Joa. VI. Die octavo discipulis et Thomae cum ipsis — Joa. VII. In monte — Matth. VIII. Ad mare Tiberiadis — Joa. — Cur Simon eum non cognovit? Quia eum negaverat puduitque ipsum, cum aspicere. Joannes autem, quia liberaliter cum D. N. egit, statim ac vidit eum, et cognovit. IX. De monte olivarum ad coelum ascendens — Marc. et Luc. X. Quingentis simul, qui a mortuis resurrexerant — Paulus (I. Cor. XV. 6.) — Post ascensionem vero Paulo Damascum pergenti et Stephano martyri et diacono, cum lapidaretur, apparuit.

#### Caput 46. De ascensione D. N.

Redemptor noster post suam e sepulchro resurrectionem 40 dies in mundo ambulavit, decies discipulis suis apparuit et manducavit et babit cum eis ad mare Tiberiadis. — Hinc pagani nobis objiciunt: Quodsi D. N. postresurrectionem suam manducavit et babit, tunc certo et in resurrectione cibus et potus erit; sin autem non manducavit neque babit, tunc omnes circumstantiae Christi phantasmata sunt. — Nos autem eis respondemus: saeculum hoc saeculum est indigens cibo; propter quod ipse manducavit et babit, ne phantasma fuisse existimaretur, et quia complures, qui a mortuis resurrexerunt, manducaverunt et biberunt usque dum obirent mortem: sicut mortuus, quem Elias suscitavit, et ille, quem D. N. suscitavit. Nec quia indigebat cibo, D. N. post resurrectionem suam manducavit: sed ut humanitatem suam astrueret; 40 enim dies in deserto absque cibo permansit, nec tamen fame Iesus est. — Quidam autem dixerunt, D. N. post resurrectionem suam tali modo manducasse, quali Angeli in domo Abrahae manducaverint; vi enim divina cibum consumptum fuisse et evanuisse — sicut ignis oleum (adipem) lingat, de quo tamen nil in substantiam suam recipiat. — Mansit autem D. N. 40 dies super terram:



sicut Elias tot dies jejunavit et Moyses bis quadragenos dies: sicut pluvia in diebus diluvii 40 dies perduravit: sicut Deus Ninivitas usque ad 40.um diem exspectavit: sicut speculatores 40 dies abfuere, et sicut filii Israel 40 annos desertum perambulaverunt et in eo manserunt: sicut infans, cuius formatio in utero 40 diebus perficitur. — Post 40 dies D. N. eos in montem olivarum adduxit et imponens iis manus benedicensque de praedicanda populis doctrina eis praecepit. Et postquam iis benedixit, ab eis discedens in coelum ascendit; illi vero adoraverunt eum. Apparuerunt autem iis Angeli confortantes eos et dicentes: Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum in coelum ascendit. Reversique in coenaculum, quo fuerant, ibi decem dies mansere, donec Spiritum s. sub specie linguarum ignearum acciperent. — Dixitque Simon Petrus discipulis, sociis suis: Decet nos, virum loco Judae ad numerum duodenarium complendum constituere. Miserunt itaque sortem, et cecidit super Matthiam, et annumeratus est cum duodecim Apostolis. — Quomodo D. N. coelum ingressus est, illud non findens? — Aiunt: Sicut per portas clavas intraverit, et sicut prodierit ex utero virgineo et <sup>122)</sup> redierit virginitas ejus, sicut antea fuerit et sicut sudor ex corpore, et sicut aqua in radices olivae et reliquarum arborum ascendet et ictu oculi usque ad folia et flores et fructus tanquam per aquaeductus absque ulla rima et scissura gravi in medio illorum perveniat: sic miraculo infinito et inenarrabili D. N. in coelum intrasse — illud non findentem. Si enim nobis potu — aqua et vino — (non) utentibus <sup>123)</sup>, corpus nostrum sudorem eruet, carne nostra minime fissa nec corpore perforato, quanto magis facile divinae virtuti esse, firmamentum coeli ingredi, illo nec fisso nec scisso. — Coenaculum, in quo D. N. Pascha fecit, juxta quosdam Lazari fuit; juxta alios autem Josephi Senatoris; juxta alios denique Simonis Cyrenaei. Jesus Bar-Nun Catholicus — Nicodemi illud fuisse contendit. Decem dies Apostoli in illo post ascensionem in jejunio et oratione perseverantes et Spiritum Paraclitum, quem D. N. J. C. iis promiserat, exspectantes permanserunt.

<sup>122)</sup> Syr. וְהַוֵּת, ad marg.

<sup>123)</sup> Ar. ,,, et v. bibentibus.

## Caput 47. De illapsu Spiritus s. super Apostolos in coenaculo.

Decimo die post ascensionem D. N., cum ss. discipuli in coenaculo aggregati promissionem D. N. exspectarent, repente tertia diei hora — dominicae (sc.) Pentecostes — vox vehe- mens audita est, ita ut omnes homines timerent et ob vehe- mentiam illius vocis stuperent. Repletumque est coenaculum illud igne forti et inenarrabili, et apparuerunt super capita singulorum linguae igneae; flavitque inde odor suavis, omnia hujus mundi aromata superans. Apertique sunt oculi cordium eorum et coeperunt nova interpretari linguis omnium popu- lorum loquentes. — Videntes autem eos Judaei existimaverunt, mustum illos potasse ebriosque factos et corruptos esse in mentibus suis. — Eodem die de Sacramento Corporis et San- guinis D. N. communicaverunt et fermentum signaculi et oleum baptismi consecraverunt. — Tradunt enim quidam: Quum D. N. discipulis suis corpus suum frangeret, Joannem Zebedaei de particula sua, donec D. N. a mortuis resurgeret, abscondisse; quumque D. N. discipulis suis et Thomae cum ipsis appareret, Thomae dicens: „Infer digitum tuum et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis“, Thomam digitum suum in latus D. N. intulisse et locum lanceae tetigisse. Discipulos autem vidisse sanguinem de plagis lanceae et clavorum pro- dire; Joannemque particulam de corporali sumsisse et hunc sanguinem particula illa abstersisse. Orientales Mar Adaeum et Mar Marim hanc particulam sumsisse atque de ea hoc fer- mentum, quod ad nos traditum est, consecrasse<sup>124)</sup>. Alii vero discipuli non sumsere de ea dicentes: Consrecramus, quoties- cumque volumus. — Oleum baptismi quidam de oleo, quo reges ungebantur, fuisse contendunt; alii autem de unguento, quo D. N. conditus est: quod multi tradunt. Alii ferunt: Quum Joannes corporale Paschatis manu sua apprehenderet, conflagratum et inflatum esse in dorso manus ejus et sudasse hoc dorsum. Tulisse hunc sudorem et pro signaculo baptismi abscondisse. — Haec autem audiendo audivimus de ore ad au- rem — a viro eremita et curatore, neque ex libris accepimus. Nomen autem Pentecostes „Finis quinquaginta dierum“ inter- pretatur.

<sup>124)</sup> Idem permulti Nestorianorum scriptores affirmant. V. A.s- sem. i. h. l.

**Caput 48. De praedicatione Apostolorum et de loco uniuscujusque eorum, deque ipsorum morte.**

Quum Apostoli donum Spiritus s. accepissent, sequenti die jejunium hoc, quod Apostolorum dicitur, inchoarunt: etsi Melchitae affirment, Apostolos exactis abhinc octo diebus jejunasse. Haec eorum nomina: Simon a Bethsaida — de tribu Nephthali erat. Primum Antiochiae praedicavit ibique ecclesiam in domo Cassiami, cuius filium resuscitaverat, aedificavit; mansitque ibi unum annum. Ibidem discipuli Christiani cognominati sunt. Hinc Romam ascendit ibique 27 annos mansit. Nero eum capite in terram verso crucifixit. — Andreas, frater ejus, Seythis et Nicomediae et in Achaja praedicavit. Byzantii ecclesiam aedificavit ibique mortuus et sepultus est. — Joannes, filius Zebedaei. Hic quoque Bethsaide natus erat — de tribu Zabulon. Primum in Asia praedicavit; deinde in<sup>125)</sup> Pontum insulam a Tiberio Caesare in exilium missus est. Tandem Ephesum pervenit ibique ecclesiam aedificavit. Tres discipuli cum comitati sunt: Ignatius, qui Antiochiae episcopus factus et Romae bestiis projectus est; — Polycarpus, qui in Syria episcopus factus et igne crematus est; et Joannes, cui sacerdotium et sedem episcopalem reliquit. — Ipse vero multo tempore vixit et Ephesi sepultus est. Praecepit, ne quis sepulchrum suum sciret. — Duo autem sepulchra ejus Ephesi exstant: unum absconditum (Joannis) Evangelistae; alterum Joannis, discipuli ejus, qui apocalypsim „scripsit“; ait enim, ex ore Evangelistae se omnia, quae scripserit, audivisse. — Jacobus, frater Joannis. Bethsaide, in civitate sua, praedicavit ibique ecclesiam construxit. Herodes Agrippa gladio eum occidit anno post ascensionem D. N. Sepultus est in urbe Marmaricae Akar. — Philippus quoque a Bethsaida erat de tribu Aser. Hic in Phrygia et Pamphilia et Pisidia praedicavit et ibidem sepultus est. 27 annos Apostolatum gessit. — Thomas Jerosolymita de tribu Juda fuit. Parthis Medis Indisque praedicavit. Quia vero filiam regis baptizavit, lancea ille eum perforavit, et mortuus est. Haban corpus ejus tulit et Edessae depositum. Juxta alios in Mahluph, urbe regionis Jndorum, sepultus est. — Matthaeus publicanus ex Nazareth urbe de tribu Issachar

<sup>125)</sup> Sic text. Syr. et Ar. leg.

erat. In Palaestina, Tyri et Sydone praedicavit et usque ad Gabulam venit. Antiochiae, urbe Pisidiae, mortuus et sepultus est. — Bartholomaeus ex Endor de tribu Issachar erat. Hic in Armenia interiori et Ardeschir et Catrepul et Dekin et Prohorman praedicavit. 30 annos in Apostolatu egit. Rex Hirustani cum crucifixit. In magna ecclesia Armeniae sepultus est — Judas, filius Jacobi, cognomento Thaddaei et Lebbaei. Erat Jerosolymita, de tribu Juda. Laodiceae et Antodori<sup>126)</sup> et Arod praedicavit. Arod lapidatus ibidemque mortuus est et sepultus. — Simon Zelotes, Galilaeus, de Ephraim erat. Samosatae et Pherin et Rugma et Halab et Mabug et Censcherin et Cyri praedicavit. Ibi ecclesiam exstruxit et mortuus et sepultus est. — Jacobus filius Alphaei, a Jordane de tribu Manasse erat. Thadmor et Circessi et Callinici praedicavit. Venitque Batna-Saurg, ubi ecclesia exstructa mortuus et sepultus est. — Judas Iscariotes e vico Cariot — de tribu Dan erat. Serpenti similis Dominum suum decepit. Intravit pro eo Mathias de tribu Ruben, qui in Hellade et Sicilia praedicavit et ibi mortuus et depositus est. — Jacobus frater D. N. Quum Jerosolymis Judaeos doceret, de pinnaculo templi dejectus est; et cum adhuc viveret, fullo caput corpusque ejus fuste percussit, et demum lapidibus eum obruerunt. — Joannes Baptista de tribu Levi erat. Herodes Tetrarcha eum interfecit; cuius corpus Sebastiae depositum est. — Ananias, Baptistae discipulus, Damasci et Arel docuit. A Phul, duce exercitus Aristi, imperfectus et in ecclesia, quam Arel exstruxerat, sepultus est. — Paulus Tarsensis in haeresi sua<sup>127)</sup> ..... de tribu Ephraim (!). Ab Anania baptizatus multa signa fecit et urbibus praedicavit. Periculis non parvis pro Christi nomine perlatis tandem ad Petrum Romanum profectus est. Quum orbem terrarum dividerent, Gentes pars Pauli factae sunt; Petri vero populus Judaeorum. Multos ad Christi veritatem convertit. Nero ambos amara morte affecit. Simon petiit, ut capite in terram verso crucifigeretur, ut vestigia crucis Domini sui obsecularetur. Quumque exirent inter-

<sup>126)</sup> Ar. Antortas אַנְטוֹרְטָא

<sup>127)</sup> Ar. Antkārah מְעֻתּוֹלִי פִי אַתְקָרָה, semotus, separatus (ex) religione sua, Pharisaeus?

ficiendi, chirotoniam sacerdotii discipulis suis dederunt: Petrus quidem Marco, Paulus autem Lucae. Quumque Petrus crucifixus esset, et Paulus multique ex discipulis eorum occisi sunt. Marcus et Lucas nocte exeuntes corpora eorum in urbem re-tulerunt. Caput autem Sauli amissum nec inter occisos repertum est. Post multum temporis pastor locum istum pertransiit, ubi occisi inhumati erant. Inventum caput Pauli in capite virgae suae asportavit et ad caulam ovium suarum depositum. Nocte autem ignem super illud flagrantem vidi et abiens in urbem S. Xysto Episcopo et Clero ecclesiae indicavit; cognoveruntque omnes, illud de corpore Pauli esse. Dixit eis Xystus: Vigiliam et orationem faciat omnis coetus. Nos autem exhibimus ad corpus ejus et caput ad pedes ejus deponemus. Si redibit et collo ejus unietur, certum fit, Pauli esse. — Quumque sic facerent, totum corpus ejus ambulavit seseque capiti univit, ac si nunquam spondyli vertebra amputata fuisset. Videntes autem obstupuerunt et laudaverunt Deum. A vocatione ejus usque ad vitae finem 35 anni fuere. Duos annos Caesareae in carcere erat, totidem Romae. Martyrium anno 36.o post passionem D. N. perpessus est. Sepultus est in domibus illustribus Imperii — magno cum honore. Quovis anno 29.o Junii diem memoriae ejus agunt. — Lucas medicus, Evangelista. Primum a Lazaro, fratre Mariae et Marthae edocitus, deinde a Philippo in urbe Beroea baptizatus est. Quum Alaxandriae praedicaret, ab Horo, Tiberii Imperatoris judice, gladio coronatus, ibidemque supultus est. — Marcus Evangelista Romae praedicavit ibidemque mortuus et sepultus est. Quidam affirmant, eum filium uxoris Petri fuisse. Juxta alios filius Simonis erat, et Roda ejus soror. Primum Joannes nominabatur; Apostoli autem nomen ejus mutaverunt eumque Marcum nominavere, ne duo Evangelistae unius nominis essent. — Adaeus<sup>128)</sup> de Phenis erat. Edessae in Mesopotamia in diebus Abgari praedicavit. Herodes, ejusdem filius, eum apud arcem Agig interfecit. Corpus autem ejus postea ablatum Roman asportaverunt. Alii Edessae eum depositum

<sup>128)</sup> V. de Adaeo, Abgaro, Thaddaeo cl. Curetonii „Ancient Syriac documents relative to the earliest establishment of Christianity in Edessa et.“ ed. W. Wrigth, Lond. 1864. p. 1—23. 140—66.

esse volunt. — Ag ha e us, ejusdem discipulus, primum <sup>129)</sup> purpurarius erat, et discipulus factus est. Abgaro mortuo filius ejus successit exegitur ab Aghaeo, ut fasciolas sibi texeret. At ille non obedivit dicens: Non mihi licet, relinquere praedicationem et praemonitionem atque ad texendum redire. Tunc ille femoris crura ei virga sua percussit et fregit, et mortuus est. — Thaddaeus post eum Edessae fuit. Herodes, filius Abgari, et ipsum occidit. Edessae depositus est. — Z acha e us publicanus, qui D. N. hospitio exceperit, in monte Hauran interfectus est. — Simon Leprosus. Cum Ramathae praedicaret, Judaei eum percosserunt, et mortuus est. — Joseph Senator iu Galilaea praedicavit et in Decapoli. In Ramath vico suo sepultus est. — Nicodemus Phariseus, Christo amicus, Apostolos Jerosolymis exceperit et honoravit. Ibidem mortuus et sepultus est. — Nathanaël. Praedicans in monte Hauran lapidatus et mortuus est. — Simeon Cyrenensis. In Chio insula praedicans occisus est. — Simeon Bar-Kleopha. Jerosolymis episcopus factus est. Senem centenarium Heraeus chiliarcha interfecit. — Stephanus Jerosolymis lapidatus est. Corpus ejus in vico Caphar Gamal sepultum. — Marcus cognominatus Joannes. In Nose et Jericho praedicavit. Aedificata Jerichonte ecclesia ibidem mortuus et sepultus est. Juxta alios Evangelista est, ut commemoravimus. — Cephas, cuius Paulus meminit, in Baalbec et Hamaz et Nethron praedicavit. Mortuus et sepultus est Sarmi. — Titus in Creta praedicavit ibidemque mortuus est et sepultus. — Sosthenes in regione Ponti et Asiae praedicavit. Nophae praefecti jussu in mare conjectus est. — Crescens <sup>130)</sup> in Dalmatia praedicavit. Alexandriae in vincula conjectus ibidem fame mortuus est. — Justus Tiberiade et Caesareae praedicavit. Caesareae mortuus et sepultus est. — Andronicus praedicavit in Illyrico <sup>131)</sup> (Aluricon) ibidemque mortuus et sepultus est. — Rufus in Zeugmia praedicavit. Zeugmaei cum interfecere. — Prokopius Calchedone praedicavit ibidemque mortuus et sepultus est. — Hermas Pastor Antiochiae praedicavit et ibidem mor-

<sup>129)</sup> Ar. sericarius mercator; v. de hac voce Cureton l. c. p. 157.

<sup>130)</sup> a. Sal. Criscus nominatur קְרִיסָקּוֹם (Krisakōm) viii. 1. 1081. b. Sal. Criscus nominatur קְרִיסָקּוֹם (Krisakōm) viii. 1. 1081. c. Sal. Criscus nominatur קְרִיסָקּוֹם (Krisakōm) viii. 1. 1081. d. Sal. Criscus nominatur קְרִיסָקּוֹם (Krisakōm) viii. 1. 1081.

<sup>131)</sup> בָּאַלְוִיּוֹן (Baaloyon)

tuus et sepultus est. — Asyneritus ad Huzitas profectus et ibi mortuus et sepultus est. — Onesimus servus Philemonis erat. Hunc effugerat et ad Paulum, quem ille in carcere esset, abierat. Quapropter eum „filium, quem in vinculis genui“, appellat. Romae ei costae confractae sunt. — Aristobulus in Isauria praedicavit, ubi mortuus et sepultus est. — Apollo „electus“ a Sparelio, Gangarae judge, igne concrematus est. — Olymphas et Stachys et Stephanas Tarsi in vincula conjecti ibique mortui sunt. — Junias Sami apprehensus et occisus est<sup>132)</sup>. — Theocritus in Ilio praedicavit ibique mortuus et sepultus est. — Marcellus Barbaris praedicans interficitur. — (Simeon) Niger Antiochiae praedicavit, mortuus sepultusque est. — Lucius. Hunc post equum traxerunt; sicque vitam finivit. — Alexander Heraclopoli praedicans in foveam conjectus et mortuus est. — Mennaeus Rhodi praedicavit: — in mare projectus et suffocatus est. — Silvanus et Herodion Aco praedicaverunt et interfecti sunt. — Silas Sarapoli praedicavit ibidemque mortuus et sepultus est. — Timotheus Ephesi praedicavit, mortuus, sepultus est. — Manael Aco praedicans igne crematus et mortuus est. — Eunuchus ille, quem Philippus baptizavit, praefectus Candaces, reginae Aethiopum, erat. In Aethiopiam reversus ibi praedicabat. Postmodum quum in insula, quae Pharphacia appellatur, praedicaret, fune suffocatus est. — Jason et Sosipater in Olmio praedicantes bestiis objiciuntur. — Demas Thessalonenses docuit; apud quos mortuus et sepultus est. — Hymenaeus Malatianos docuit atque apud eos mortuus et sepultus est. — Tertius Laodiceae praedicans in fornacem ignis mittitur. — Aristarchus in Magsarta praedicavit, mortuus et sepultus est. — Ebrius et Mutus in regionem Aethiopum profecti ibidem mortui et sepulti sunt. — Levi Phenios praedicavit; occidit eum Charmus. — Nicetas Tiberiade praedicavit; in duas partes serratus est. — Joannes et Theodorus praedicantes in theatro urbis Baalbec bestiis projecti sunt. — Euchastion et Simeon. Metholius praefectus eos Byzantii occidit. —

<sup>132)</sup> In cod. Vat., quo Ass. utebatur, deest.

Ephraem in Bison praedicavit ibique mortuus et sepultus est. — Justus Corinthi interfectus est. — Jacobus Nicomediae praedicavit, ubi mortuus et sepultus est<sup>133)</sup>.

**Caput 49. Nomina singulorum Apostolorum. — Nomia των duodecim.**

Simon Petrus. Andreas frater ejus. Jacobus Zebedaei. Iohannes, frater ejus. Philippus. Bartholomeus. Thomas. Matthaeus telonarius. Jacobus Alphaei. Lebbaeus, cui cognomen Thaddeus. Simon Cananaeus. Judas Iscariotus, pro quo Matthias.

Nomina των septuaginta. Jacobus, Josephi filius. Simeon, filius Cleophae. Cleophas, pater ejus. Joses. Simeon. Judas. Barnabas. Manaus. Ananias, qui Paulum baptizavit. Cephas, qui Antiochiae docuit. Joseph Senator. Nicodemus Archon. Nathanael, princeps scribarum. Justus, qui et Joseph vel Bar-sabas cognominabatur. Silas. Judas. Iohannes, qui et Marcus. Mnason, hospes Pauli. Manael, Herodis collectaneus. Simon, qui et Niger. Alter Jason, qui in Actibus nominatur. Rufus. Alexander. Simon Cyrenensi, horum pater. Lucius Cyrenensis. Judas alias, cuius mentio in Actis fit. Judas, qui Simon vocabatur. Eurion latis pedibus. Theorus. Thorisos. Zabdon. Zachron. Septem sequentes cum Stephano electi sunt: Philippus Evangelista, cui tres filiae prophetissae erant. Stephanus. Prochorus. Nicanor. Nicolaus, advena Antiochenus. Andronicus. Junias. Titus. Timotheus. — Quinque isti, qui cum Petro Romae fuere: Hermes. Phlegon. Patrobas. Asyneritus. Sex isti, qui cum Petro ad Cornelium profecti sunt: Criscus. Milichus. Cheriton. Simon. Gajus, Pauli hospes. Abrazon. Apollo. Duodecim sequentes a 70 defecerunt sicut Judas a duodecim: absolute enim Deitatem D. N. negaverant, agente Cerintho. De iis Lucas (!) loquitur: „Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.“ Paulus eos Pseudoapostolos nominat. — Simeon. Leech. Bar-Kurba. Kleon. Hymenaeus. Kandrus. Klethon. Demas. Narcissus. Silicispus. Thaddaeus et Maruthas. Pro iis hi intraverunt: Lucas medicus. Apollo electus. Amplius. Urbanus. Stachys.

<sup>133)</sup> Cf. catalogum discipulorum apud Assem., qui ab hic descripto aliquantulum differt. Et in codice nostro nomina non raro vitiouse scripta sunt.

Publius. Aristobulus. Stephanas, non ille Corinthius. Herodion, filius Narcissi. Olympas. Narcissus. Marcus Evangelista. Adaeus. Aghaeus. Mar-Maris. Feruntur quidem *oi* duodecim et *oi* septuaginta singuli singula Evangelia conscripsisse; sed ne historiae (plus justo) amplificantur, (tradimus): Apostoli deliberabant et eligebant binos ex septuaginta: Lucam et Marcum, binosque de duodecim: Matthaeum et Joannem.

#### Caput 50. Quaestiunculae diversae.

Qui ex Apostolis uxores duxere, hi sunt: Petrus Apostolorum caput. Philippus annuntiator. Paulus. Nathanael, qui et Bartholomeus<sup>134)</sup>. Lebbaeus, qui et Thaddaeus; ipseque Judas, filius Jacobi. Simon Cananaeus, qui et Zelotes et Judas Bar-Simon nominatur. — Puer, quem D. N. advocavit dicens: Nisi conversi fueritis et efficiamini, sicut paruli, non intrabitis in regnum coelorum — Ignatius fuit, qui Antiochiae patriarcha factus est<sup>135)</sup>. Angelos in duabus turmis ministrantes vidi. Statuit itaque, ut in Ecclesia sic ministraretur; qui ordo tamen postmodum corruptus est. Quumque Diodorus cum patre suo inter legatos in regionem Persidis abiret eosque in duabus turmis ministrantes videret, Antiochiam in patriam suam reversus denuo praecepit, ut in duabus turmis ministraretur<sup>136)</sup>. — Pueri, quos D. N. obtulerunt, ut manus eis imponeret et oraret, Timotheus et Titus fuere. Hi quoque episcopatu digni habiti. — Nomina Mariarum, quae in Evangelio commemorantur: Maria Virgo, Mater D. N., et Maria, uxor Josephi. Maria, uxor Petri et mater Marci Evangelistae. Maria Magdalene, soror Lazari. Mariam autem peccatricem quidam Magdalenem fuisse dicunt et mercede fornicationis suaee Magdalum eam sibi aedificasse affirmant. Alii autem, qui eam aliam a Magdalene fuisse contendunt, Mariam hanc a nomine viri sui Magdalael Magdalenem vocatam et sanctam castamque fuisse dicunt.

<sup>134)</sup> Cum aliis Syris id contendit.

<sup>135)</sup> Idem et alii Syri et Graeci affirmant, ut Niceph. hist. 1. 2. ep. 3.

<sup>136)</sup> V. Assem. in h. capi, qui ostendit, verba haec Bassorensis ex narratione Theodoriti (hist. Eccl. 1. 2. cp. 24.) male ab ipso intellecta orta esse.

**Caput 51. Nomina Catholicorum Orientis, successorum Apostolorum Adaei et Maris.**

Adaeus Edessae sepultus est; Maris vero Dair - Koh<sup>137)</sup>. Abres, qui Graece Abrosius dicitur<sup>138)</sup>. Locus sepulchri ejus incertus. Abraham erat ex impositione manus Antiochia. Juxta traditionem de genere Jacob filii Joseph fuit. Sepulchrum ejus in urbe Ctesiphonte. Jacobus Antiochiae ordinatus. Hic quoque de genere Joseph, viri Mariae. Sepulchrum ejus Ctesiphonte est. Achadabues Antiochiae ordinatus. Sepulchrum ejus Ctesiphonte est. Schahlupha; Ctesiphonte ordinatus ibidemque sepultus est. Papas, cuius sepulchrum Ctesiphonte est. Simon Barsaboë Susis martyrium perpessus est. Schahdost<sup>139)</sup> — Ctesiphonte sepultus. Barbaschminus Elam martyrio coronatus et sepultus. Thomarsa, Ctesiphonte sepultus. Cajuma, Ctesiphonte sepultus, a Patriarchatu recessit. Loco ejus alias constitutus est, qui cum eo hanc dignitatem habebat, donec moreretur. Isaac, Ctesiphonte sepultus. Acha, Ctesiphonte sepultus. Jaballaha de scolis Marabda — Ctesiphonte sepultus. Meana in Perside habitavit ibique sepultus est. Dadjesu Hirtae sepultus. In diebus ejus Nestorii cum Cyrillo dissidium. Babuj martyrio coranatus et Hirtae sepultus. Acacius de genere Babaei Catholici; Modaimae sepultus. Babaeus uxorem duxit; Ctesiphonte sepultus est. Silas uxorem duxit. Sepultus est in monasterio suo prope Avoian<sup>140)</sup>. Paulus, Ctesiphonte sepultus. Marabbas Hirtae sepultus: Martyr ipse absque sanguine. Ezechiel, Hirae sepultus. Jejujab mysticus, Hirae sepultus. Sabarjesu, sepultus ..... Gregorius ..... sepultus. Jesujab Gedalja ..... sepultus. Maremeh Chetimae sepultus. Jesujab Hdajbaeus, in Beth'abe sepultus. Gregorius ..... sepultus. Joannes ..... sepultus. Hananjesus ..... sepultus. Salibzacha sepultus Ctesiphonte. Phetion sepultus Ctesiphonte. Marabbas Modainae sepultus. Jacob sepultus ..... Hananjesu sepultus ..... Timotheus, in monasterio suo sepultus. Jesu

<sup>137)</sup> קָרְוֵה, Ar. Karow

<sup>138)</sup> Cf. Spicileg. Syr. ed. Cureton, ubi in λογω προς Ἐλληνας idem nomen item scriptum vides.

<sup>139)</sup> Jesudost. Ass.

<sup>140)</sup> Syr. אַוִיָּה, Ar. אַוִיָּה

Bar-Nun, in Monasterio Timothei sepultus. Georgius sepultus in monasterio. Sabarjesu in monasterio sepultus. Abraham in monasterio sepultus. Theodosius in monasterio sepultus. Sergius in monasterio sepultus. Joannes Bar-Narsis in aedibus Romanorum sepultus. Joannes, ibidem sepultus, sicut et Joannes et Abraham et Emmanuel et Israel et Ebedjesu et Maris et Joannes et Joannes. Jesujab sepultus .... Elias sepultus in aedibus Romanorum. Item Joannes et Sabarjesu et Ebedjesu et Elias et Barsumas. Jesujab in ecclesia Mar Sabarjesu sepultus, sicut et Elias. Jaballah in ecclesia Dominae Mariae sepultus. Sabarjesu sepultus in ecclesia Dominae Mariae. Nomina autem Catholicorum, qui dignitate exuti et rejecti sunt: Mar-Bucht. Narsaj. Elisaeus. Joseph. Syrinus.

#### Caput 52. Nomina regum, qui regnaverunt in mundo a diluvio.

Reges Medi, qui in Babel regnavere: Darius Hystaspes 24. annos. Xerxes 20 a. Artaxerxes Longimanus 41 a. Darius, filius concubinae, 20 a. Artaxerxes Gubernator 30 a. Arses, filius Euchis. Darius, filius Arsam 6 a. — Anni regum Aegyptiacorum: Alexander, Philippi filius, 12 a. Ptolemaeus, filius Lagi 40 a. Ptolemaeus, filius Philadelphi, 38 a. Tertio ejus anno quintum millennium completum est. Hic Judaeos captivos in Aegypto rogavit, et interpretati sunt ei LXX senes in insula Pharo Libros e lingua Ebraea in Graecam. Propterea eos libertate donavit vasaque templi eis dedit. Haec eorum nomina: Josippus. Ezechias. Zacharias. Joannes. Ezechiel. Elisaeus. Hi de tribu Ruben. — Judas. Simeon. Samuel. Adaeus. Mathitha, Schalmi — de tribu Simeon. — Nehemias. Joseph. Theodosius. Basa. Adonias. Daki — de tribu Levi. — Jothan. Abdi. Elisaeus. Ananias. Zacharias. Helkias — de tribu Juda. — Isaac. Jacob. Josue. Sambost. Simon. Levi — de tribu Issachar. Judas, Joseph. Simeon. Zacharias. Samuel. Schamli de tribu Zabulon. — Sambat. Sedecias. Jacob. Isaac. Isaj. Mathias — de tribu Gad. Theodosius. Jason. Jesus. Joannes. Theodotus. Jothan — de tribu Aser. — Abraham. Theophilus. Arsam. Jason. Jeremias. Daniel — de tribu Daniel. — Jeremias. Ele-

azar. Zacharias. Banajas. Elisaeus. Dathaeus — de tribu Neph-tali. — Samuel. Josephus. Judas. Jonathan. Dositheus. Hatab — de tribu Joseph. — Isalus. Joannes. Theodosius. Arsam. Abias. Ezechiel — de tribu Benjamin. — Post illum Ptole-maeum surrexit Ptolemaeus Euergetes — 26 a. Ptolemaeus Philopator 17 a. Ptolemaeus Epiphanes 24 a. — Ptolemaeus Philometor 35 a. — Usque ad hunc tempus Maccabaeorum sese extendit. Eo regnante explicit V. T. Ptolemaeus Soter 17 a. Ptolemaeus Alexander 18 a. Ptolemaeus Dionysius 30 annos regnavit.

Anni Imperatorum Romanorum:

Cajus Julius 4 a. Augustus 57 a. 43.o ejus anno Christus D. N. natus est. Tiberius 23 a. 15.o ejusdem anno D. N. baptizatus est. 17.o anno passus et mortuus est et resurrexit et ascendit in coelum. Gajus 4 a. Claudius 14 a. Nero 14 a. Vespasianus. Ubi regnum adeptus est, statim Titum filium suum Hierosolymam misit, qui eam 2 annos obsidebat, donec eam deleret et everteret. Regnavit 20 a. Domitianus 15 a. Trajanus 20 a. Usque 7.um ejus annum Joannes Zebedaei vixit. Hadrianus 20 a.<sup>141)</sup> Antoninus 20 a. Verus 20 a. Com-modus 14 a. Severus 20 a. Domus Antonini 20 a. Alexander, filius Mammæae, 13 a. Maximius et Gordianus 9 a. Philippus et Gallus 10 a. Valerianus et Galienus 15 a. Claudio et De-ciuss<sup>142)</sup> 16 a. Diocletianus et qui cum eo regnabant 20 a. Constantinus 33 a.

Reges Persarum a Sapor filio Hormisdae. A 4.o anno Constantini Caesaris Victoris Sapor in Perside 70 a. regnavit. Ardeschir, frater ejus, 10 a. Haran et Sapor, filii Ardeschir, 20 a. Jezdegerd, filius Saporis, 20 a. Vararanes, filius Jezdegerd, 20 a. Pherozes, filius Jezdegerd, 27 a. Balases, filius Pherozi, 4 a. Cavades, Pherozi filius, 41 a. Cosroë, filius Cavadis, 47 a. Hormisdas, filius Cosroë, 12 a. A Sapore us-que ad hunc annum 15.um Cosroë, filii Hormisdae, quo hoc genus expirat — 306 anni. Summa omnium annorum ab Adamo usque ad hunc 15.um annum Cosroë Victoris, qui est 916 Graecorum — 5861 anni. Ab Adamo scil: usque ad crucifi-

<sup>141)</sup> Syrus vitiouse scribit „Aitonianus“.

<sup>142)</sup> Syr. „Teciatus.“

xionem 5280 a. Omnis ergo inhabitatio Judaeorum ab exitu eorum de Aegypto usque ad Jerosolymorum per Titum excidium 1601 a. Ab Abrahamo usque ad hunc annum 2031 anni.

**Caput 53. De fine temporum et mutatione regnum e libro Methodii Episcopi Romani<sup>143)</sup>.**

Septimo hoc millennario, quod ultimum est, regnum Persarum destruetur. Eodem filii Ismael e deserto Jathreb prodibunt et venient et congregabuntur omnes in Gabaoth — Ramtha<sup>144)</sup>. Ibi pingues regni Graecorum occidentur, qui regna Ebraeorum et Persarum devastaverunt: ab Ismaele, onagro deserti, — qui in ira mittitur super omnem terram et super homines et super jumenta. Et super arbores castigatio absque misericordia erit. At non quia Deus eos amat, illis permittet, ut regnum Christianorum invadant, sed propter iniquitatem et peccatum, quae fient a Christianis, qualia non sunt facta ab ulla generatione priori. Delirantes enim ebrietate et luxuria absque pudore impie se conjungent. Vir et filius ejus cum una muliere fornicabuntur: frater cum uxore fratris sui: masculus cum masculo et femina contra legem naturae et scripturae, ut b. Paulus (Rom. I, 26 seqq.) ait: „masculos in masculos turpitudinem operatos esse similiterque feminas egisse: alterum altero contra naturam usum esse. Propter quod mercedem, quam oportuerit, erroris sui in semetipsis recepisse, mulieres aequae ac viros.“ — Propterea libidini barbarorum eos tradet: ita ut uxores eorum contaminentur a filiis immunditiae et jugo tributi alligentur. Homines omne, quod possident, vendent, iisque dabunt, nec tributum persolvere poterunt; imo et liberos suos iis in servitutem tradent. — Et exaltabitur tyrannus, ita ut et tributum et vectigal a mortuis, dormientibus in pulvere, exigat. Diripiet pupillos et defraudabit viduas; nec miserebuntur pauperum nec parcent egenis nec subvenient oppressis; colaphizabunt senectutem, contemnent sapientes, stultos honorabunt:

<sup>143)</sup> Vaticinium de iis, quae ante consummationem saeculi contingent, describit ex Methodio, ut perperam vocat, Romano Episcopo: sed revera ex oratione Methodii Episcopi Olympi de resurrectione. Ass. e.m.

<sup>144)</sup> Ar. „in collibus Gab.“

irrid ebunt magistris, et parvulus sicut magister cogitabit, et vilis sicut nobilis. Verba eorum sicut gladii caedent, nec erit, qui quominus verba eorum persuadeant prohibebit. Via itineris eorum a mari usque ad mare erit: ab Oriente usque ad Occidentem, a Septentrione usque ad Meridiem et desertum Jathreb. Eritque tribulatio magna in fine dierum illorum: esurient etenim et sitient senes matronaeque et in vinculis vexabuntur, ita ut mortuos felices praedicent. Exenterabunt gravidas et lactentes ab humeris matrum suorum proripienit eosque sicut animalia vendent; eos vero, qui iis inutiles erunt, ad lapides allident. Sacerdotes et ministros in medio templo mactabunt et cum uxoribus suis in aedibus Dei dormient. De vestimentis sacris sibi et uxoribus suis vestes facient et super lecta sua pudent et in mediis lectis super iis immunditiam peragent. Jumenta sua in templa et altaria adducent, canes suos ad habitationes sacras alligabunt. Illis diebus dolebunt animi justorum et signa facientium. Infirmi autem fidem veram sanctamque crucem negabunt et sacramenta vivificantia. Multi non coacti Christum negabunt rebellesque et satanae erunt et fidem negantes laudabunt. Hac castigatione Christiani probabantur. Illo enim tempore non requirentur justi, mansueti, tranquilli, mites: sed mendaces, calumniatores, accusatores, perturbatores, obscoeni et misericordia carentes et conviciantes parentibus suis et sacramenta vivificantia blasphemantes. Veraces in tribulationes et persecutions venient, ita ut de vita sua desperent. Auferetur honos a sacerdotibus, et pastores sicut plebs erunt. Cumque mensura victoriae eorum completa erit, tribulatio vehementior erit et duplicabitur plaga super homines et super jumenta. Erit fames magna, et projicientur cadavera hominum in medios vicos et plateas inhumata. Et cessabit et deficiet computus (judicium). Homines aes et ferrum et vestes vendent et filios suos filiasque libenter suadentibus paganis tradent. Vespere homo dormiet et mane surgens ad portam suam duos vel tres exigentes vel cum violentia abducuros inveniet. Duo aut tres mulieres uni viro adhaerebunt et dicent: Panem nostrum edemus et vestimentum nostrum induemus, tantum sub alis tuis protegamur. Et cum angustiati et tribulati fuerint et esurient et sitient et vexati fuerint plaga hac amara, et illi tyranni valde oblectati fuerint — edentes et



bibentes et gloriantes de victoria reportata, et quod perdiderunt populos et gentes, et ornatii sicut sponsae dicentes: Non est redemptor Christianis: tunc subito dolores adversus eos sicut parturientis excitabuntur. Exibitque rex Graecorum in ira magna et erit sicut vir effundens vinum suum et prodibit adversus eos a mari Aethiopum projicietque vastationem et perditionem in desertum Jathreb et in medium habitationem patrum eorum et capiet uxores filiosque eorum in laborem et servitutem. Cadet super illos timor ab omnibus finibus eorum. Omnes in manus regis Graecorum tradentur et in perditionem et captivitatem et occasionem dabuntur. Eritque servitus eorum centies fortior jugo ipsorum et erunt in dura tribulatione p[re]fame et siti et anxietate. Servientque illis servitutem, qui ipsis serviverant, et servitus eorum amara erit. Pacabitur terra, quae habitatoribus suis spoliata est. Redibitque superstes, qui relictus erit, in suam quisque patriam et in haereditatem patrum suorum, et multiplicabuntur homines super terram devastatam, sicut locusta; Aegyptus vero vastabitur et Arabia igne exuretur et terra Hebron<sup>145)</sup> desolabitur: et lingua maris pacabitur. Omnis furor regis Graecorum in eos, qui Christum negaverunt, implebitur; et erit pax magna in terra, qualis non fuit a constitutione mundi usque ad finem ejus. Pax enim haec ultima erit, et gaudium magnum terram tenebit, et sedebunt homines in pace et refrigerio. Monasteria et Ecclesiae renovabuntur, et aedificabuntur urbes, et sacerdotes ab oneribus suis liberabuntur. Reficientur homines a labore et vexatione cordis et edent et bibent. Non erit malum nec sollicitudo, et ducent uxores et gignent filios — in quiete hac confirmata. Tum aperientur portae Aquilonis et exhibent populi illi, qui ab Alexandro rege inclusi sunt.

#### Caput 54. De Gog et Magog, qui in Aquilone inclusi sunt.

Quum Alexander regnaret et regiones et urbes subegisset et in Orientem venisset, in ultimis finibus Orientis illos homines vidit, de filiis Japhet, pejores et magis pollutos omnibus habitantibus orbem. Populi immundi et detestabiles erant, qui

<sup>145)</sup> Ar. Hauran הוראן

mures et reptilia terrae, serpentes et scorpions edebant. Nec inhumabant cadavera mortuorum et foetus, quos uxores aborierunt; tunicas<sup>146)</sup> foetus involventes (cumque iis ex utero prodeuntes) tanquam pretiosissimum cibum edebant. Homines erant Deum nescientes, nec rationis viribus utentes; sed sicut serpentes perniciosi in hoc saeculo absque virtute discernendi<sup>147)</sup> viventes. Quumque Alexander malitiam eorum vidisset, Deum in auxilium sibi vocavit; congregansque eos et mulieres et infantes eorum tulit et in finibus Aquilonis, qui porta mundi a Septentrione est, inclusit. Neque alias aditus neque exitus e finibus mundi ab Oriente Aquilonem versus extat. Oravit igitur Alexander cum gemitibus ad Deum. Et audivit Deus orationem ejus praecepitque duobus illis altis montibus, qui filii Aquilonis vocantur, et accesserunt ad invicem, usque dum inter eos spatium c. 12 cubitorum maneret; et propugnaculum forte ante eos aedificavit fecitque ei portam aeneam, quam oleo Thasnactis intrinsecus et extrinsecus illivit: ut si ferrum afferrent ad eam aperiendam, non moverent illam, et si igne eam liquefacere vellent, ignis extinguqueretur. Ab insidiis daemonum et magorum non timet nec vincitur. — Sunt autem 22 regna post portam septentrionis inclusa. Haec eorum nomina: Gog. Magog. Nol. Eskin. Danphar. Phactaei. Lydi. Hymenaei. Pherezaei. Declaei. Thubalaei. Darmataei. Caucabaei. Amratha. Garmidoa. Antropophagi. Cynocephali. Tharcae. Elanaei. Phisilon. Dencae. Saltaraei. In fine vero saeculi et consummatione finali, cum homines edent et bibent et uxores ducent et nubent et vineas plantabunt et aedificia exstruent nec malum nec adversitas erit prae tranquillitate perseveranti et pace confirmata: subito portae Aquilonis aperientur et prodibunt exercitus populorum illorum ibi inclusorum et commovebitur omnis terra coram illis. Fugientque homines et refugium quaerent in montibus et speluncis et in sepulchris et in hiatibus terrae et morientur prae fame, nec erit qui eos sepeliat — prae multitudine tribulationis, qua homines afficiant. Carnem hominum edent et sanguinem animalium bibent. Reptilia terrae manducabunt, serpentes et scorpions et reptilia fel ejientes

<sup>146)</sup> משאים Ar. שערתא

<sup>147)</sup> תמיון, פורשן (Ar.)

comedent. Canes mortuos et feles mortuas et abortus mulierum cum tunicis foetuum manducabunt. Matribus cadavera filiorum ad coquendum tradent et absque verecundia coram illis comedent. Post unam hebdomadam tribulationis hujus durae omnes in campo Joppe perdentur: ibi enim ipsi et uxores eorum cum filiis et filiabus congregabuntur. Descendetque jussu Dei unus de exercitibus Angelorum et una hora eos occidet.

### Caput 55. De adventu Antichristi, filii perditionis.

His hebdomada una et in dimidio unius hebdomadis interemtis, filius interitus adparebit. In Corozain concipietur, in Bethsaida nascetur, in Capharnaum educabitur. Corozain gloriabitur, quia in ipsa concipiebatur: Bethsaida, quia natus est in ipsa; Capharnaum, quia in ipsa educatus est. Propter quod D. N. tribus his vae in Evangelio dixit. Et ubi apparuerit filius perditionis, rex Graecorum ascendet et contra Golgotha stabit, ubi D. N. crucifixus est. Capiti crucis coronam regiam, qua D. N. crucifixus est, imponet et ambas manus in coelum expandet et regnum Deo patri tradet. Et exaltabitur s. Crux in coelum et corona regia cum ea; rex autem extemplo morietur. Rex hic, qui regnum Deo Patri tradet, de semine Cuschath, filiae Phil, regis Cuschitarum, genus suum deducet: Armelius enim, rex Graecorum, Cuschat uxorem ducet et commiscebitur semen Aethiopum cum semine Graecorum. Ex hoc semine exurget rex, qui regnum Deo tradet, sicut b. David ait: Cusch — tradet (Vulg. praeveniet) manus ejus Deo. Et simulac exaltata erit crux in coelum, statim omnis principatus et potestas et omnis virtus cessabit et prohibebit Deus a terra curam suam; et coelo demissio pluviae interdicetur, et terrae productio et germinatio, et manebit terra prae ariditate sua sicut ferrum, et coelum sicut aes. Tunc apparebit filius perditionis de semine et tribu Dan et magias et phantasmagorias ostendet et mundum seducet: simplices enim videbunt leprosos mundatos, coecos videntes, paralyticos ambulantes, daemones exeuntes: solem ab eo aspectum et obscuratum, lunam eo jubente mutatam, arbores fructus e ramis suis producentes, terram radices germinantem. Ostendetque phantasmata et magias, mortuos vero resuscitare non poterit. Et intrabit Jerosolymam et sedebit

in templo super thronum dicens: Ego sum Christus. Honorabitur autem a legionibus daemonum sicut rex et legislator. Nominabit seipsum Deum dicetque: Ego sum perfectio typorum et parabolarum, et cessare faciam orationes et sacrificia: tanquam ipse sit, cuius ortu orationes evanescant, nec homines sacrificii et oblationibus cum ipso indigeant. — Est autem filius hominis incorporatus ex muliere conjugata de tribu Dan. Filius enim hic interitus cum homo sit, habitatio daemonum factus est, et omnia opera satanica in eo peragentur. Congregabuntur cum eo omnes daemons et omnes exercitus Indorum, et ante omnes populus insanus Judaeorum in eum eredet dicens: Hic est Messias, finis mundi. Tempus vero seductionis per Antichristum duos annos et dimidium anni complectetur, aut juxta alios tres annos et sex menses. Et si omnes desperaverint, tunc Elias de Paradiso veniet et seductorem arguet et cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres convertet et confortabit et confirmabit corda fidelium.

#### **Caput 56. De morte deque animae e corpore migratione.**

Fundamentum omnium bonorum, pretiosissimum omnium donorum Dei amorque ejus verus, nos ad eum adducens, — est mors. Quinque autem modis homines moriuntur: Naturae — ut David ait:<sup>148)</sup> „sed si dies ejus venerit, et morietur<sup>149)</sup> sicut Saul.“ Voluntarie: sicut Saul seipsum in bello cum Philistaeis interfecit. Casu: sicut per delapsum de tecto et casus mortiferos. Violenter: a daemonibus et hominibus et bestiis et serpentibus fel (venenum) ejicientibus. Castigatione: qualis erat diluvium in diebus Noë, ignis Sodomitarum reliquaque id genus. Omnes hos modos mortiferos nutus et dispositio divina comitatur, creaturis incomprehensibilis: prohibens quando expedit et permittens, quando congruit. Ordo hic in hoc saeculo neque ab Angelis neque ab hominibus comprehenditur. In saeculo futuro autem omnes creaturee ratio-

<sup>148)</sup> mel. Ar. „de Saule: Non dicam ei quidquam, sed si venerit d. e. et morietur.“  
<sup>149)</sup> Sicut S. deest hic in text. Ar.

nales eum intelligent. Cum vero anima de corpore exit, iuxta sermonem Esajae Abbatis<sup>150)</sup> Angeli cum ea eunt. Tunc virtutes tenebrarum ei occurront eamque tenere et arriperet volunt. Si ergo ei aliquid de suo (i. e. daemoniaci aliquid) inest, Angeli non pugnant cum iis; sed opera, quae fecit, protegunt eam custodiuntque ne ei appropinquent. Si vero opera ejus vincunt, tunc laudant Angeli coram ea, donec in Deo cum gaudio exultet. Illa hora omnium operum hujus saeculi oblitio seicitur. Tunc nemo, qui in hoc saeculo remissionem non acceperit, sententiam judicii effugiet. — Non est poena nec beatitudo et retributio ante resurrectionem, sed anima omnia scit quaecumque fecit, et bona et mala. Sed ubi animae, quando e corporibus suis discesserint, usque ad resurrectionem habitabunt? — Dicunt quidam: eas in coelum elevari, h. e. in regionem Spiritualium, ubi exercitus superi habitent. — Alii: eas in Paradisum migrare, in locum scil. bonis revelationum Dei refertum; animas vero peccatorum extra paradisum in loco profundo Eden in tenebris jacere. — Alii: eas cum corporibus suis sepeliri; sicut enim ambo in baptismo sepulta sint, sic et nunc usque ad diem resuscitationis (eas sepultas esse). Alii: eas ad ostium sepulchrorum stare et redemptionem suam exspectare, h. e. eas scientiam de resuscitatione corporum suorum possidere. Alii: eas tanquam in somno esse per longum illud tempus, quod iis tribuunt; tempus enim, quod nobis longissimum esse videatur, iis sicut ictum oculi esse brevitate sua. Sicutque somno demersi conservationis suae, quae hic fiat, obliviscantur, et mortalitati certitudo non conveniat: sic et illis scientiam quandam medium esse, altiorem ea, quam nunc habeamus; illam vero, quam post resurrectionem accepturi simus, non aequare. Qui vero eas sicut infantes absque scientia esse dicunt, illam scientiam intelligunt, quae post resurrectionem iis donabitur: sicut et quidam scientiam veram — ignorantiam appellant. — Animas vero justorum orare orationesque earum eos, qui ad ipsos refugiunt, adjuvare, multis cognoscere licet, in primis a Mar Theodoro in historia<sup>151)</sup> b. Theclae. Eos igitur,

<sup>150)</sup> Scetensis, aequalis Macarii Aegyptii, Paphnutii, Ammonis, claruit exente saeculo quarto. Scripsit varios sermones. V. Ass. Bibl. Or. III. I. p. 46.

<sup>151)</sup> בְּשַׁרְבָּן (Ass.) „Oratio“ in b. Theclam.

qui Sancto aliquo familiariter utuntur, gaudere decet, si in Paradisum migravit; amicus enim eorum virtutem adeptus est, orationibus suis eos adjuvandi: sicut coecus ille, discipulus ejusdam Sancti, in libro Paradisi. Qui tempore obitus magistri sui amare flevit: Cur, inquit, me miserum deseris? — Confortavit eum magister dicens: Credo in Deum, si gratiam in oculis ejus invenerim, in fine hebdomadae te videntem fore. Estque animabus Sanctorum confabulatio spiritualis, prout Deus permettit et destinat: qui eas causis necessariis ad illam commovet. Neque animae, quae ex hac vita in corpore migraverunt, ab illa prohibentur, si caste mundaque in corpore habitaverunt; nec illae, quae (adhuc) vestibus suis carnalibus induiti sunt, si sancta est habitatio, in qua operantur.

**Caput 57. De resuscitatione et resurrectione communi deque fine mundi elementaris et initio saeculi novi.**

Cum Elias venerit et filium defectionis, filium perditionis, accusaverit et fideles consolatus erit, tempore, quod Deus solus scit, signum vivum Crucis adparebit honoratum et celebratum per Gabrielem Archangelum. Lumen ejus lumen solis superabit ad confundendos infideles et Judaeos, qui (Chr.) crucifixerunt. Orta vivifica Cruce coram D. N., ut Doctor ait: „Praeveniet eum victoria ejus“, statim hiatum inter coelum et terram lumine forti implebit, cuius splendor et lumen omnia lumina praecedet. Subitoque vox vehemens audietur, cornu primum Archangeli, de qua D. N. loquitur: „Media nocte clamor factus est: ecce! sponsus venit, exite obviam ei!“ Hoc est, quo Sol obscurabitur, luna lumen suum non dabit, stellae de coelo sicut folia cadent, virtutes coelorum commovebuntur. Terra tremet et concutietur, montes et colles humiliabuntur, mare tumultuabitur, voces horribiles audientur, flumina in terram redundabunt. Arbores eradicabuntur, aedificia corruent, urbes et vici subvertentur, turres fortes et muri alti delebuntur, bestiae et pecora et volucres et pisces deficiunt et peribunt. Omnia corrumpentur exceptis paucis hominibus, quos resurrectio apprehendet, de quibus Paulus loquitur: Et nos, qui residui, non assequemur eos, qui dormierunt: id est, qui non dormiunt somnum mortis,



sed hora resurrectionis vivi invenientur, sicut iterum Apostolus ait: Ecce ! mysterium dico vobis: Non nos omnes dormiemus; sed nos omnes immutabimur. — De coelo alius ait: Illud scissum iri aquasque illas, quae super firmamentum sunt, descensuras esse;<sup>152)</sup> corpora enim aquarum corpus firmamenti penetrare non posse. Alii: Sicut aquam testam, sudorem corium penetrare, sic et homines coelum intraturos esse, nec prohiberi, aquasque desuper descensuras esse. Alii: Illud sicut aulacum tabernaculi re(?)serari. — Cornu secundum illud est, quo firmamentum aperietur, et D. N. cum decore et gloria magna de coelo orietur. Descendet vero in gloria Deitatis suae usque ad secundam partem ternariam illius spatii, quod inter coelum et terram, quo Paulus in spiritu revelationis ascendit. Tunc filium perditionis interimet corpusque ejus et animam perdet et satanam et daemones in Gehennam detrudet. Tertia tuba eaque novissima, qua mortui resurgent et vivi immutabuntur, ut b. Paulus ait: Velociter, in ictu oculi, novissima tuba canente, mortui resurgent absque corruptione et nos immutabimur. — Tam celeriter et facile resurrectio cuiusvis hominis pro spiritualitate novi mundi perficietur. Celeritas quippe resurrectionis celeritatem cognoscendi praecedit, turmaeque tantum spiritales eam vident et cognoscunt, quomodo fiat. Cumque subito unusquisque in spiritualitate inveniendus sit: quidam tradunt, resurrectionem piorum et justorum et fidelium — reliquorum hominum, qui longe a vera fide aberrant, resurrectionem praevenire; sed juxta veram et communem sententiam resurrectionis totius generis humani celerius fulgere et ictu oculi fiet; a genere Adae usque ad ultimam generationem tuba tertia resurgent. Et quamquam multae voces illa nocte audientur, quarum quaeque futura significat, ut Commentator ait, tamen — sicut plerique commentatorum et scripturae docent, tres tubae praecipuae clamabunt, quibus omne opus resurrectionis perficietur et consummabitur. Michael autem commentator et explicator in libro Quaestionum aliter loquitur. Ait enim: Mundus ante resurrectionem mortuorum non transiet, nec dissolvetur; sed prius adventus D. N. adparebit, qui cum exercitibus spiritualibus veniet. Statimque virtus D. N. terram coget, ut partem

<sup>152)</sup> Ar. Corpus enim corpus, i. e. corpus firmamenti p. n. p.

corporum hominum, quae occisa et sepulta et in ipsa in pulvrem redacta sunt, reddat, simulque animae praeparabuntur et disponentur ad corpora sua resumenda. Si enim ante vivificationem mortuorum mundus et omnia, quae in eo sunt, transirent, unde mortui resurgerent? — Sed stulti et insciī sunt, qui mundum ante vivificationem mortuorum peritum esse affirmant. Christus enim ante mortuorum resurrectionem mundum exitio non dabit, sed antea mortuos resuscitat, et videbunt homines oculis suis interitum mundi et destructionem elementorum et excidium coeli et terrae: solis, lunae, stellarum. Et ex hinc tribulatio in mentibus impiorum regnare incipiet, gaudium vero infinitum in mentibus justorum.

#### Caput 58. Quomodo et qua specie homines in die resurrectionis resurgent.

Omnia agmina et mensurae hominum in mensura aetatis plenitudinis Christi resurgent, i. e. 33 annorum, sicut D. N. e sepulchro surrexit; resurgemusque cum omnibus membris nostris atque cum structuris absque augmento et diminutione. Crines autem et ungues et praeputium alii resurgere dicunt, alii negant ac si superflua sint ad naturam humanam consummandam. Dicunt enim de resurrectione: Similitudinem tantum resurgere, cui non insint partes nec structura membrorum humanorum: figura scilicet manuum et pedum et duritiem ossium. Alii, totum hominem in unum crystallum confundi omnesque partes hominis commisceri, atque ordinem certum structurae non concedunt. Alii: Vasa, quae in ventre sunt, non resurgere; hi a veritate erraverunt neque intellexere, illud, si qua pars periret, perfectum non esse. Paulus quidem aperte docet et argumentum resurrectionis a grano frumento desumit. „Sicut illud perfecte cum gloria ascendit, dum nil de eo perit: sic totus homo cum omnibus membris et partibus resurget.“ Structura ejus ut nunc ordinata erit; sed a χυμω purgatum erit. Quod mirum non est; si enim vas luteum, quod in fornacem ignis venit, puritatem et levitatem recipit et figura ejus et forma non mutata, sed gravitate et pondere tantum diminutis, formam suam tenet: sic Spiritus s. in fornace resurrectionis nos comburet, materialita-

tem tetram praesentis vitae nobis adimet, incorruptibile nos vestiet. „Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spiritale.“ Neque omnibus membris corporum nostrorum videbimus nec audiemus, ut quidam totum hominem visum totumque auditum fieri opinati sunt; sed iisdem membris consuetis operationem perficiemus. Non enim necessarium nec utile esset, nobis ibi conversatione et sermone non indigentibus. Quod vero explicatores quidam inepte tradunt, qui diligenter supplicium peccatorum et retributionem justorum et sanctorum describunt et dicunt, rationem et libram in resurrectione esse: hoc Ecclesia non recipit; sed quisque nostrum suum ignem suumque lumen in se portabit et pondus aut levitatem in natura sua ipse inveniet, sicut lapis et ferrum natura sua ad infra decidunt, aër vero naturaliter propter subtilitatem et levitatem suam ascendit. Sic et in resurrectione illum, qui gravis est et in peccatis jacet, peccata detrahent; eum vero, qui purus est a rubigine peccati, sinceritas exaltabit. — Et exaltabitur D. N. in coelum, et Angeli coram eo sicut legati et justi et sancti a dextris ejus et a sinistris puerique post eum in figura crucis erunt.

**Caput 59. De beatitudine justorum et suppicio peccatorum,  
quomodo ibi fiant.**

Quid illi, qui in Gehenna patientur, passuri sint, scire et cognoscere nos deceat. Si enim patientur, quomodo eos impassibiles fore dicemus; sin autem non patientur, tunc ibi peccatoribus pro peccatis eorum poena non est, nec etiam justis beatitudo secundum opera eorum. Dolor autem, quem juxta Patres peccatores in Gehenna patientur, non ille membra torquens est, utputa verbera virgarum aut amputatio carnis aut confractio ossium, sed ille animam affligens, sicut tristitia ob praevaricationem et poenitentia de factis turpibus et prohibitio ejus, cuius amore aliquis captus est et oneratus desiderio. Neque enim ibi in resurrectione sine sensu erimus, sicut sol splendorem suum non sentit nec luna claritatem suam nec margarita pulchritudinem: sed vi rationalitalis perfecte suavitatem beatitudinis nostrae et vehementem poenae nostrae cruciatum sentiemus. Eadem re, qua justi suavitatem beatitudinis suae, et peccatores passionem poenae suae sentient: per vim scilicet capacem suavi-

tis, quae est facultas discernendi. Nos ergo veraces esse oportet, ne facultas haec a nobis auferatur, sed ut majoritatem sinceritatem et subtilitatem accipiamus. Deliciae vero et bona saeculi futuri minime illis hujus saeculi comparanda. Illis in saeculo futuro donatis haec odiosa et abominabilia ducemus, nec nos laetificare et delectare poterunt natura nostra beatitudine immortalitatis suae super omnem bonitatem et voluptatem eorum elata. Item si omnibus tormentis et angustiis hujus mundi in saeculo futuro afficeremur, nihil horum naturam nostram immortalem et immutabilem penetraret. Beatitudo autem, quae ibi erit, laudabilior ac praestantior erit omniaque similia, quae nunc sunt, superabit; sic et illud tormentum fortius et amarius omnibus hujus saeculi erit. — Qualitatem luminis justorum exponere nobis convenit. Lumen etenim justorum naturale ut hoc elementare non erit; sed de lumine D. N. super eos effundetur et expandetur, cuius splendor myriadas solum superabit. — Singuli vero Sanctorum secundum puritatem et claritatem et sinceritatem suam splendebunt, ut b. Paulus ait: „Stella stella claritate praestantior; sic et resurrectio mortuorum.“ Et licet omnes Sancti in uno regno beatificantur, is tamen, qui prope Regem aut Sponsum erit, ab eo differet, qui novissimum locum accubitus tenebit, etsi in eadem domo accubitus ejus erit. Sic et peccatorum in Gehenna supplicium aequale non erit; suum enim cuique pro peccato et supplicium erit. Sicut autem nec lumen solis lunae lumini, nec lunae lumen stellarum lumini comparandum est, sic et beatitudo justorum, quamvis nomen et honor justitiae omnibus imposita et tributa sint. Sicutque lumen humanitatis D. N. omnia membra nostra indiscriminatim penetrabit, sic et dolorem poenamque Gehennae omnibus membris nostris sentiemus. — Vestis nuptialis, quam D. N. sanctis suis, filiis lucis, praeparavit, impossibilitas est. Vester autem sordidae, ab ingressu thalami spiritualis nos prohibentes, passiones sunt. Nomina autem et distinctio formarum et staturarum personarum humanarum in saeculo novo non erunt. Sicut enim omne nomen et cognomen, quod Deo et Angelis tribuimus, initium ab hoc mundo habuit, et pro dispositione hujus saeculi nomina corporalia distincta et imposta sunt, in saeculo vero spiritualium et intellectualium naturarum non.....

Caput 60,<sup>153)</sup>

De comment. Theod. in Evang.

„In futuro saeculo, qui bona hic egerunt, cum laude frumentum bonorum recipient: mali vero, qui toto vitae suae tempore mala perpetrarunt, postquam poenarum vi atque metu resipuerint, bonaque eligentes, in malis, dum peccaverunt, non in bonis se perstissete didicerint, perque haec scientiam optimae doctrinae timoris Dei consequuti fuerint, bona illum voluntate apprehendere instructi: tunc demum frumentum divinae liberalitatis merebuntur. Nunquam enim dixisset, donec reddas novissimum quadrantem, nisi fieri posset, ut pro peccatis poenas solventes, ab iis liberemur: neque dixisset, vapulabit multis, et vapulabit paucis, nisi poenam peccatis commensam solventes finem tandem habituri essent“.

Ex Diodori libro de oeconomia:

„Perpetua merces bonis pro ipsorum laboribus paratur, digna Remuneratoris justitia et aequitate. Poena vero inquis, non tamen perpetua, ne immortalitas ipsis praeparata eisdem inutilis fiat, sed ut aliquo exiguo tempore juxta meritum et mensuram delicti et impietatis eorum et secundum quantitatem malitiae operum ipsorum torqueantur. Tormentum itaque et poenam ad exiguum tempus patientur: beatitudo autem immortalitatis nullum habitura finem illos manet. Enimvero si bonorum operum praemia tantum excedunt, quantum aeternitatis ipsis paratae spatium, certaminum praesentis aevi curriculo circumscriptorum spatha superat; poenae profecto pro gravibus multisque crimini bus infligendae multo magis a magnitudine misericordiae superantur. Non itaque pro bonis dumtaxat resurrectionis gratia computatur, sed etiam pro malis. Gratia enim Dei bonos quidem magnifice copioseque honorat; misericorditer vero et clementer malis supplicia decernit.“ — Quidam Patres supra virtutem nostram nos perterrefaciunt et in desperationem dejiciunt, et istorum quidem sententia pueris sensu et praevaricantibus legem utilis est. Sunt alii, qui nos recreant, et divinae misericordiae confidere jubent. Istorum vero opinio perfectis et bene consti-

<sup>153)</sup> Textus Syriacus abhinc deest. Salomon hoc capite Theodori Mopsuesteni ac Diodori Tarsensis sententias, qui Origenis errori favent, citat. Quae sequuntur, excerpta sunt ab Assemano.

tutae mentis ac operi graviter incumbentibus proficia et consentanea est. In libro commentariorum<sup>154)</sup> sic legitur. „Saeculum hoc, saeculum est poenitentiae; futurum autem saeculum, saeculum est vindictae. Quemadmodum enim in praesenti saeculo poenitentia ad extreum usque spiritum salvat; ita in saeculo futuro justitia ultimum exigit quadrantem. Et sicut hic non est videre judicium aequum, quod misericordia temperatum non sit: ita non est illic invenire judicium justum misericordia permistum.“ Et s. Isaac sic habet. „Qui apud Gehennam torquentur, charitatis cruciantur tormentis. Aspera autem et magis amara sunt tormenta, quae a charitate inferuntur iis, qui sentiunt se in charitatem deliquesce, tormentis a timore.“ Rursus ait: „Peccatorum retributio haec futura est, ut pro justitiae retributione resurrectio ipsa illis retribuatur, et corpora, quae leges ejus conculecaverunt, ipse in novissimo gloria perfectionis induet.<sup>155)</sup> Major sane est gratia ista, quae postquam delinquimus, nobis tribuitur, quam illa, per quam e nihilo conditi sumus. Haec quoque habet. „In saeculo futuro gratia judex erit, non justitia“. Et Mar Theodorus Commentator ait: „In saeculo futuro ii, qui multa bona opera egerunt, beatitudinem cum abundantia obtinebunt.“

*Item* Explicit liber hic celeberrimus „Apis“. — Laus Deo soli! Amen!

<sup>154)</sup> „autoris anonymi“. A.s.s.

<sup>155)</sup> Sequentia codex noster cum A.s.s. legit. Unde patet, de capite ultimo in Codice nostro Monacensi per pauca tantummodo excidisse, certe nihil, quod ad dijudicandum Bassorensis de hac re sententiam aliquid conferat.



latus auctoritate ipsius gratiarum et operibus profecta et conser-  
vanda in libro commentario eiusdem legitur.<sup>17</sup> Sacrum  
Ipsius est et SSI meritissimum. Atque istud sacramentum, sac-  
ra missa, et confiteacione. Quoniam haec sunt et praesenti nesciuto  
admodum nobis seruum mecum spiritus datur, ut in ecclesiis  
fatuus iustitiae timore exibi quidem. Sed et hoc non  
est videtur proutrum acerum, quod misericordia beatitudinem nos  
in illa vita est hic in uestre medicina justam misericordias per-  
missit.<sup>18</sup> Deinde Ihesus dicit: Qui apud Generationem formatur,  
charitatem credientium non credit. Aspera ante eis et magna erunt  
procedentes, sed etiam a christo deinceps, et postea adhuc etiam a  
christo.

Et propter hoc dicitur: Et quoniam in uestre medicina, ipso in novissimo gloria perfectionis erit.<sup>19</sup> Major sane est  
gratia ista, quam possumus delegamus, nobis tribuitur, quam  
illa, per quam e mundo conditi sumus. Haec quoque habet  
in aliis in futuro gratia nostra, est non postea. Ad hanc  
Inclitem Communionem sive in ecclesia, sive in domo, sive  
in sparsa eorum, communione cum eis, qui obtemperant.

Feliciter libet. In uestre medicina dicitur: Deinde illi  
dicitur:

17) Cuiusdam enim  
18) In Codice nostre M  
19) Unde alioquin in aliis dicitur







D 9a 1100

ULB Halle  
000 786 039

3/1



